

ſit libido
us nouans
ubrica cōp
r quā auct
m̄ acius .
r q̄s ut pl
phanus c



am⁹ afflatuz

lis oisqz


c fecla fit no

nr̄i corpis

ubꝫ ip̄i arc


b hoc ircdq


dulus : u











COMPENDIVM SIMPLICIVM ET COMPOSITORVM Medicamentorum

Quorum est frequens vsus apud Medicos & Pharmacopolas, ab Antonio Anguisola Art.& Med. Doctore Comite atq; Equite Palatino ex peritorum Philosophorum & Medicorum monumentis collectum; in quo nomina, natura, loca, & integritatis notæ Simplicium & substitutorum, vnà cum Medicamentorum Compositorum descriptione,& numero pro Vsu idoneo, breuibus, fidissimèq; explicantur; ad Philosophiæ Medicinæq; studiosorum gratiam, Pharmacopolarum commodum, & Vtilitatem publicam editum.

His annectitur VNICORNIS celeberrimi quadrupedis historia,antehac à nemine ita diffusè, lucide, & fideliter exarata; cuius occasione omnia cornigera nominatim recensentur, & nonnulla scitu digna, iucunda, & vtilia enarrantur de natura Orygis, Bisontis, Asini indici; Rhinocerotis; Equi indici; Bouis indici; Camphure; & Bruti, quod Vulgo dicitur la gran Bestia; Rangiferiq; Semptentrionalis tricornis.



PLACENTIAE, Ex Typis Io. Bazachij. 1587.
Superiorum permissu.



AD LIBELLVM.


Exi hilaris, proferq; gradus fide Libelle; nunc
Exi, ne tardes grate Libelle, precor.
Te Tyro, & Medicus, Sana & qui pharmaca parat,
Vir Bonus & Prudens, te cupit omnis, abi;
Ne timeas dentes fractos linguamq; bisulcam;
Pugnabit pro te Vir probus, atq; Deus.
Exi; quis? quis? spernet te dona ferentem? quis
Indoctus, Demens, Inuidus, atq; Piger.



AD LECTOREM.

Miraris Lector? promittit magna Libellus.
Hunc capias, Hunc tu perlege, volue diu.
Præstabit (credo) fidus promissa Libellus,
Qui iucunda gerit, promit & vtilia;
Continet Heroi, Medico, & gratissima cunctis;
Quæ bonus & sapiens spernere non poterit.
Hunc eme, ne pigeat; nam venditur ære pusillo:
Per lege; fac semper sit tuus atq; Comes.
Authorem gratum summo tu amplectere amore,
Qui sua nunc grato dat tibi dona animo.
Ora Deum sanus multos vt viuat in annos,
Quò dare, quò possit munera grata magis.





IN FARNESIORVM INSIGNIA.

TEr, ſemel, atq; quater, bis, ſextò, quinq; dedêre
Florida quæ ſemper LILIA magna dabunt.
His præſtabit opem circumflans imbrifer AVSTER;
Dum Sol fulgebit, dum fluet vnda Tagi.
Trux ARIES cornu victor decertat in hoſtes,
Cuius ſubiectos vellera fulua fouent.
Aurea promittit gemmis ornata CORONA
Vitam fœlicem, præmia ſacra Poli.
Fœlix, qui degit ſub tanti Stemmatis vmbra;
Fœlix, qui eſt Domini ſubditus imperio.



MO
SERENISS. D. D.
RANVTIO FARNESIO
PLACENTIAE ET PARMAE
PRINCIPI,
DOMINO SVO
CLEMENTISSIMO.



ON ab re clarissimus inter Medicos Hippocrates in libello de decenti ornatu asseruit; Medicum Philosophum esse Deo æqualem, idq́; non solùm, quia habeat rationem cum eo communem, qua prudens ita euadit, vt non tantùm Pietatis, Iustitiæ, Sobrietatisq́;

amans exiſtat; Verùm etiam, quod ſit illuſtris & quaſi Diuinus, ob imaginem & ſimilitudinem Dei ſibi gratis impreſſam; hac de re Dauid Rex pſalmo octauo cecinit. Quid eſt Homo, quod memor es eius? aut Filius hominis, quoniam viſitas eum? minuiſti eum paulominus ab Angelis gloria & honore coronaſti eum. Et pſalmo octuageſimo primo. Ego dixi Dij eſtis & Filij Excelſi omnes. Quo fit vt non tantùm Bonus & Potens reddatur Homo, ſed etiam vt ſuiipſius & omnium tam Diuinarum quàm Humanarum rerum cognitionẽ, quantum obtuſi Ingenij vires patiuntur, poſſideat; cui Veritati ſubſcribit Ariſtoteles lib. de Part. Animal. cap. 10. Homo, inquit, ſolus Animalium omnium eſt erectus, quoniam eius natura, atq; ſubſtantia Diuina eſt; offi-

cium

cium autem Diuini eſt Intelligere atque Sapere. Proinde Medicus Philoſophus bonarum literarum non obſcuri nominis profeſſor Dei cauſæ primariæ, ſimplicis, atq; æternæ naturam pro viribus dignoſcit; Intelligentias, quas nos Chriſti fideles Angelos dicimus, Cœloſq; ſcrutatur, Elementa, & Compoſita ex ijſdem nouit, & præcipuè Medico magis & valdè neceſſaria, Foſſilia, inquam, Plantas, & Animalia; à quibus deſumitur materia pro humana ſanitate ſeruanda & ægritudine curanda; Hac de re rudis Antiquitas figurauit Aeſculapium Medicinæ, & Sanitatis Deum barbatum, inſinuare volens multarum rerum vſu pro exercenda propria Arte Medicum indigere; non enim ſat eſt Medicinæ profeſſoribus Ariſtotelis & Platonis Phi-

loſophiæ operam impendiſſe, cui & ſacri Theologi incumbunt, ſed Vlterius eſt progrediendum; nouiſſe quippè Hos oportet Naturalium rerum Nomina, Imagines, Aetates, Loca, Sinceritatis notas, & facultates; Idcircò Galenus *primo de Antidotis libro capite quinto conſuluit; Medicus, inquit, omnium Stirpium, ſi fieri poteſt, peritiam habeat, vel ſaltem earum, quæ ſunt in frequenti vſu; Eiuſdem etiam capite ſecundo; Simplex quodque Medicamentum, ſæpius Medicus contemplari debet, quò memoria teneat quantum quodq; dulcedinis, aut acrimoniæ, aut alicuius ſenſilis qualitatis habeat. Hanc eandemmet ſententiam comprobauit lib.6.de Comp. Med. ſecundum Lo. cap.*1. *Nemo, inquit, qui Simplicium pharmacorum notitiam habue-*

rit, Vnquam auxiliorum inopia laborabit, siue per montes venetur, siue quid operetur in agro, siue in peregrinatione quandoque præparatis careat Medicamentis. Quam nemo ex sola librorum lectione consequi potest, sed ab aliquo Præceptore oculis propriis est petenda; optima nanq; est illa Doctrina (ex mente Gal. 1. de Alim. fac. cap. 1.) quæ viua voce traditur, neque enim quisquam ex libro Nauclerus, aut alterius Artis professor euadit, libri. n. sunt iis, qui ante fuerunt eruditi monumenta, non rudium & in doctorum perfecta Doctrina; Idem confirmat 1. de Antidotis cap. 2. & 6. simp. Med. cap. 1. & 4. de comp. Med. per genera; Alioquin horum ignarus nomine & habitu non re Medicus iudicabitur; nam Verbotinus Medendi methodum sciet, opus

verò ipsa dignum nullum fermè perficiet; quòd si præstare videbitur, id potius Naturæ robori & bonæ Fortunæ, quam ignotis & parcis remediis erit attribuendũ; duo nanque ex Gal. sentẽtia lib. 7. cap. 3. Meth. med. sunt rectè Medenti necessaria, Materiæ copia, & Huius congruus usus; quid etenim prodest sanitatis atque ægritudinis causas nouisse, si postea Medicus ignorauerit ea, quibus sanitatem tutare & egritudinem curare valeat? sicut est impossibile Artificem rectè opus suum conficere posse ignoratis instrumẽtis ad id necessariis, ita Medicus oleum & operam perdet si Simplicium scientia caruerit; Quis est ille Artifex, qui salua fronte Artem suam publicè profiteri audeat, nisi prius Instrumentorum, quæ ad Artem suam pertinent Nomina & Vi

res optimè calluerit? Hac de cauſa Antiqui Philoſophi & Medicinæ profeſſores, poſt multas peregrinationes, varia vitæ pericula, diuturna atque ardua ſtudia, certaq; experimenta: Simplicium nomina, Imagines, Delineationes, loca, Aetates, Bonitatis notas, & Facultates, ſuis monumentis deſcriptas poſteris reliquere; inter quos potiſſimùm fuit Dioſcorides Anazarbeus & Galenus ambo græci, & inter latinos Plinius ſecundus & Andreas Matthiolus Senenſis. Horum ſcientia Medicus dotatus & munitus, non ſolùm numeroſis abundabit remediis, ſed Simplicibus & Compoſitis quibuſcunque Medicamentis dexterè vtetur, ad libitum noua poterit vbique ad vſus proprios præparare, de alienis iudicium certum ferre, perbelleq; ſciet quæ Pala-

to, quæ Naribus grata, vel ingrata fuerint, & quod magis refert facultates horum dignoſcere. Miſerum eſt Grammaticum hæc ignorare; Philoſopho turpe; Pharmacopolæ turpius; Medico autem miſerum, turpe, & Reipublicæ exitioſum. At (proh dolor) maior pars Medicorum hac ſcientia eſt deſtituta, Pharmacopolis hanc derelinquunt, & equidem iniuria, nam propter egeſtatem his non datur (vel ſaltem paucis) facultas incumbẽdi ſub peritis Doctoribus huic, quæ tam longè latèq; patet, arduæ cognitioni; ſed (Vah) quod peius eſt, Peritos paruifaciunt, obloquuntur, & magno cum ſuo apud probos & doctos dedecore, ægrorum detrimento, Animarumque ſuarum non parua iactura deteſtantur: atque vt malum malo addant Scholaribus Medi

ces facultatis perſuadent, vt horum notitiam tanquam ſuperuacuam & Pharmacopolis congruam reiiciant: aſſerentes, quod ſat ſit Simplicium nouiſſe facultates ab Authoribus tra ditas: non animaduertentes, quod ſi cõtingerit Pharmacopolis ignaris pro ægrotantium curatione vti, quod ſincera & legitima Simplicia diſcernere non valebunt: præterea nouerint iſti, quod ignoratis delineationibus & imaginibus Simplicium medicamentorum, quorum ſtudent facultati, ſtatim Nomina clauſis libris memoria excidunt, quò fit, vt deinceps remediorum inopia laborent, optatoq; fine vt plurimum fruſtrentur, & quod turpius & perniciosius eſt ſæpiſſimè vnà cum pharmacopolis ignorant, quid ſibi in ſuis chirographis ſeu (vt Vulgo dicitur) Receptis notata remedia velint.

lint. Si Verſiculo pſalmi in ordine octaui Dauid Prophetæ Regii fides eſt adhibenda canentis, Conſtituiſti Eum ſuper opera Manuum tuarum: Omnia ſub pedibus eius ſubieciſti, oues, Boues vniuerſas, inſuper & pecora campi, Cœli volucres, & Piſces Maris: Concludendum fore cenſeo Deum opt. Max. cuncta pro homine ſiue ſano, ſiue Aegroto creaſſe: quorum Nomina & Facultates primum Parentem noſtrum Adam docuit, à quo Poſteri didicere: quapropter legitur lib. 3. cap. 4. Regum, Salomonem Regem Sapiētiæ Oraculum incipientem à Cedro, quæ eſt in Monte Libano vſque ad Hyſſopum herbam, & de Iumentis, Reptilibus, Volucribus, & Piſcibus diſſeruiſſe: quorum Hiſtoria temporum iniuria ad nos nō peruenit, vel ex eius filis Authores telam

ſibi contexerunt. Miror equidem (& meritò,) valdèq; demiror, quod huius ſcientiæ ignari tanquã Archiatri & Coryphæi hodiernis temporibus habeantur, obſeruentur, & colantur; & eo magis ſi fuerint Aduenæ: Publici Gymnaſii profeſſores: Ambitioſi: Loquaces: multum familiares: Blandi Verbis: Præcipites: Compti ſimulatis moribus, multis & ſumma cum Arte pretioſis induti Veſtimentis: ſi plures numerent clientelas: ſi Diuitum & Potentum limina terant: ſi turpiter Mancipiorum fœdorum ritu inſeruiant: & adulentur: ſi alieni nominis ruina famam ſibi vindicent: & denique ſi Circulatorum mores affabrè imitentur, Boni verò & periti Breuiloquentes: Iudicio & ratiocinio valentes: ſtudiis intenti: ſeduli: futura prædicentes: Artis de-

cori, ſanitati, honori, facultatibus, & Animarum ſaluti conſulentes, tanquam ſordidi atque inepti à multis iudicentur atque arceantur. Ah, Ah, nequeo loqui. O Mores, o Tempora. Non ſecundum legem naturæ Appetitus, nec ſecundum Dei mandata voluntas dirigitur amplius: ſed Hominem ad quoduis facinus diuerſis licet modis ad vnum tamen interitus finẽ effrenata trahit libido: Proinde Sulmonis alumnus rectè cecinit: Aliud Cupido, Mens aliud ſuadet: video meliora proboq́;, deteriora ſequor. Medicinam ab optimo Deo creatam (vti percipitur ex verbis Ieſu ſirach Eccl. cap. 38. ſcribentis, Altiſſimus creauit de Terra Medicinam, & Vir prudens non abhorrebit illam.) quæ tot anteactis ſeculis ſanos tutata eſt ægrotos à Mortis

periculo reuocauit, & in pristinã Sanitatem restituit, nunc suspectam, inconstantem, & contemptibilem apud probos & peritos reddunt; & præsertim cum videant tantum dissidij & virulentiæ in his existere, ut plane ad tumultus & rixas concitandas nati videantur. Hanc exercentes illustrarunt Auicenna princeps: Euax Arabum Rex, Eusebius græcus summus Pontifex; Cosmus, Damianus, & Lucas euangelista Sancti, & quod maximum est Dominus noster IESVS CHRISTVS; quo factum est vt Diuus Augustinus in hæc proruperit verba; Magnus de Cœlo venit Medicus, quia magnus in Terra iacebat Aegrotus; & nos hanc fædam inscitia & prauis moribus reddemus? Resipiscamus, obse-

cro, nec tantùm gratiæ Clientum fidamus; quid nanq; nobis proderit ſi totum Mundum cum ignominia Lucrati Animarum verò noſtrarum iacturam paſſi fuerimus? Non ægrè, quæſo, feramus exigua præmia, & munera, quæ magna & multa ob labores, ardua ſtudia, & ingentes impenſas nobis deberentur; at nos ſpes conſequendi in Cœlis à Summo Deo ampla & æterna merita hilares, ſedulos, doctos, & fortes in noſtra hac facultate exercenda reddat; ad quod præſtandum Galenus libello ad Poſthumum ca. 1. tacitè nos inuitat atque hortatur; Medicus probus, inquit, & eruditus, quamuis vulgo ignotus ſit, ſummo tamen rerũ opifici Deo notus primùm & Amicus eſt, & optimis quibuſcumque Viris; improbus verò apud Vulgares in exi

ſtima-

ſtimatione eſt. Sed quid de Pharmacopolis? horum aliqui Artis ſuæ Inſtrumenta ignorantes, puerosq; indoctos ſibi cooptantes præfati generis Medicos ſalutant, amplectuntur, colunt, commendant, & promouent; potiſſimùm ſi plures habuerint Clientes, vt abdita ignorantia famam ex Diuitias ſibi comparent, Medicos autem probos, atque eruditos nec proponere, nec laudare volunt; nō animaduertentes, quod miſeri vnà cum Medicis improbis atq; imperitis in foueam cadunt, quæ tādem ipſis ærumnas & pœnas æternas eſt paritura; lento nanque gradu Diuina procedit ira tarditatemq; ſupplicij grauitate compenſat; Pharmacopolam decet eſſe optimum Chriſticolam Artis ſuæ peritum atq; ſedulum, ſodales eruditos ſibi addere,

vt ipſo abſente ægrotãtibus poſſint benè inſeruire legitima; ſincera, & Viribus integra Medicamenta à Medicis præſcripta exhibendo; Rei etiam herbariæ ſtudioſos magnifacere, ſtipẽdijs & muneribus afficere, & præſertim noſtra hac ætate Iacobum Antonium ſiccum conciuem noſtrum Virum in hac Arte ſatis eruditum, & vt poſteris ſit cõſultum, hortari aliquos, qui hũc vel ſui conſimiles audiant & ſequantur, quo plantarum Nomina, Aetates, & loca dignoſcantur; quod Galeni tempeſtate obſeruauit Aurelius Antoninus Imperator, qui in Creta Inſula præ cæteris plurimarũ Plantarum fœcũda & copioſa, Herbarios aluit, qui nõ ſolùm Imperatori, ſed & toti Romanæ Ciuitati Vaſa textilia illis plena mittebant, vt nullius rei pe-

nitus,

nitus, quæ ibi nasceretur, indigerent, non herbarum, non fructuum, non seminum, non radicum, nec succorum; Hic Princeps maximam (nec immeritò) Imperandi partem cõmunis salutis procuratione arbitrabatur, fuitq; ita Pius & Benignus, vt si quando quispiam Theriaca indiguisset, mira cum promptitudine & Animi propensione, eam communicabat, quam semper promptam & decenter paratam apud se seruabat, qua tanquam cibo delicato vescebatur, non tantùm vt à venenis caueret; sed etiam, vt morborum cateruam propulsaret, vitamq; pro viribus incolumem protraheret. Hæc ego alias diu multùmq; mecum reputãs atq; perpẽdens, ne manci (vt ita loquar) & imperiti Medicinæ professoris nomen subirem, hanc fa-

ctitare non sum ausus, nisi prius rerum naturaliũ & præsertim earum, quæ frequẽti vsui medico inseruiunt, notitiam essem adeptus; quamobrem in publicis Academijs, & potissimùm Bononiæ sub ægregio & nunquam satis laudato viro naturæ miraculo Vlisse Aldrouando harum studio pro viribus vacaui, nec me laboris metus, impendia, multaq; pericula ob multas arduas, inuias, ignotasq; peragratas regiones dehortari & arcere potuerunt; quocirca vt Pharmacopolis, rei Medicæ Tyronibus, vtilitatiq; publicæ consulerem, optimum fore censui si Medicamentorum Simplicium, quæ vt plurimùm ad Medicum vsum trahuntur Nomina, Naturas, Loca, Bonitatis notas, vt sincera secerni possent ab adul-

terinis, & horum Subſtituta breui Compendio à bonorum Authorum Doctrina & monumentis hauſto, deſcriberem; Hiſq́; Medicamentorum compoſitorum numerum idoneum claram & legitimam deſcriptionem ſubtexerem; ea eligens, quæ potiora tutioraq́; mihi viſa ſunt, quibuſdam additis ſimplicibus & compoſitis & nonnullis ademptis; in quibus recenſendis, quò magis expeditum vſum nanciſcerentur, & memoriæ facilius & tenacius inhærerent, ſeriem literarum ſeruaui; Quibus ad omnium gratiam, Vnicornis quadrupedis copioſam, lucidam, veram, & tandiu exoptatam hiſtoriam addidi, vnà cum reliquorum gradrupedum vnico Cornu armatorum, Magnæ etiam Belluæ, atque Ran-

giferi Tricornis naturæ breui ab hiſtoricis fidis deprompta expoſitione. Qua in re præſtanda ſi parùm eruditus, diminutus, aut ſuperfluus videbor, id ſodes, viribus ingenioli mei imbecillibus, multisq;, quibus ſum diſtrictus, negotiis, non autem voluntati meæ adſcribatis, cunctis nanque magnopere prodeſſe, ſicut vnumquemque Chriſtifidelem decet, expeto. Quod opuſculum qualecunque ſit, Ornatiſſime Princeps, in Beneuolentiæ monumentum, obſeruantiæ pignus, & ſeruitutis meæ argumentum Celſitudini tuæ dono atque dedico, ex cuius lectione ſplendor & lumen vberrimum eidem accedet, & tua Amplitudo non paruum animi ſolatium capiet: multum nanque refert rerum peritiam

aſſequi: Mithridates Ponti rex optimà pollens tẽperatura, bellatorq́; ſtrenuus, quamuis innumeris magniq́; momenti negotijs & prouinciis diſtrictus atq; irretitus eſſet, Simplicium medicamentorum cognitionem nõ eſt attamen aſpernatus, ſed omnium ferè, quæ venenis aduerſantur notitiã eſt conſecutus, atque vires in hominibus ob patrata ſcelera morte multatis expertus: quo periculo cum reperiſſet, quid vnum quodque Simplex medicamẽtum aduerſus Venenorum cateruam valeret, cuncta ad centena fermè commiſcens Antidotum compoſuit, quam ex ſui ipſius nmoine Mithridacticam nuncupauit: qua deinceps, vt ſe tutum à noxiis & exitioſis potionibus veneniſq́; cuſtodiret, vſus fuit: hac ſæpè & ſæpius aſſum

pta

pta ita viscera temperauit atque firmauit vt incolumis semper vixerit: historicorumq; monumentis est proditum, quod hic Princeps bellum cum Romanis gerens profligatus & victus, vt diem suum illæsus obiret, venenum ebibit, cuius vim Antidoti Mithridaticæ facultas irritam & cassam reddidit, qua de re vni ex suis Amicis, vt se gladio conficeret, mandauit, qui regijs votis obtemperans opus veneni ferro absoluit: Cuius filiæ vnà cum Patre vitam finire exoptantes hausto ex eodē veneno prius & quamcitissimè periere. Alexander etiam magnus huiuscemodi peritiam tanti fecit, vt Aristoteli peripateticæ sectæ Philosophorum principi solertiam & curam demandauerit, quo perquisitis omnium natu-

ris, de eis quam accuratiſſimè diſſereret & ſcriberet; iubens, vt quæcunque huic inquiſitioni vſui forent ei ex proprio Fiſco à magiſtratibus ſuppeditarentur: quo talis & tanti viri ſtudio atque ſummo deſiderio omnes admiratione ſunt affecti: adeò nanque hic Heros in adipiſcendis nouis oppidis, Vrbibus, Prouinciis, & Regnis erat auidus, vt etiamnum puer, cum Philippus pater multa præclarè & ex uoto ageret, triſtaretur, dubitans, ne Pater cunctis potitus nihil illi gerendum, acquirendumvè relinqueret. Hoc itaque munuſculum hilari bonoq; animo Amplitudo tua accipiat donantis animum perpendens, qui maiora & maxima exoptat: ne, quæſo, Generoſiſſime Princeps, donum

hoc abhorreas, tum memor inopiæ & gratiſſimi erga Celſitudinem tuam animi mei, tum etiam Cyri Iunioris Perſarum Regis, qui oblatam à Ruſtico vtraque manu Aquam non ſolùm vultu accepit læto atque alacri, imò illum phiala aurea & mille Daricis donauit. Si Princeps ſciurum ſibi dono datum, vel muſtellam ruſticam, ſeu Melitæum Catellum ſollicitè, ſummo cum applauſu, & gaudio accipit, aſpicit, contrectat, deoſculatur, commendat, donantiq́; gratias agit: quid ſperandum, quando aliquis lucubratiunculas iucundiores & vtiliores, multo ſtudio, labore, & ſumptu partas, & editas, hilari pioq́; offert & deuouit animo? Vt Stirpes, Heros clementiſſime, Aeris temperie & Solis fauore fa-

cillimè

cillimè germinant, pullulant, adolescunt, vigent, longè lateq; sese diffundentes, flores, folia, fructusq; sapidos & vtiles proferunt: ita Bonarum literarum studiosi Principum Magnatum Procerumvè gratia benignitate, & liberalitate in viros eximios vniuersis opitulantes emergunt: & meherculè quis non videt & iudicat quod non leuis à Magnatibus cura est habenda eorum, qui de literis & Republica benè pieq; sunt meriti, & accuratius mereri satagerent ni res angusta domi impedimentum obiiceret? Proinde, Princeps clementissime, hoc munusculo libentissimè accepto, efficias supplex postulo, vt aduersarii mucro amplitudinis tuæ summo patrocinio obtundatur & infringatur: & tandem ac tandem
nasum

naſum Rhinocerotis & linguam anguinam habentes ſtudiis & moribus christifidelibus congruis vacando, obtrectationes & contumelias ſilentio inuoluant, & blaterare erubeſcant: eoq́; magis cum non ignorent, quod conuiciatorum contumeliæ perinde ac ebriorum nugæ à probis & cordatis viris & eſtimentur & floccifiant: ſatiuſque erit, vt ſi quid iucundius vtiliuſvè Reipublicæ futurum in eorum ſinu deliteſcit, quam citius depromant. Quæ tua in me merita ſi, Princeps benigniſſime, contuleris, nulla hæc vnquam delebit obliuio, perpetuóq́; ero Celſitudini tuæ addictus, & tanquam fidum Mancipium deuinctus, tuaq́; in me Clementia, inmenſa benignitas atq; liberalitas magis atque magis innoteſcent, & reli-


qui literarum studiosi ad iucundiora, vtiliora, maioraq́; ferenda: donanda, dedicanda & consacranda excitabuntur & inflammabuntur: qua spe fretus ob Mansuetudinem, Iustitiam, Pietatem, plurimarumq́; virtutum, quæ in Celsitudine tua supra ætatem conspiciuntur, cumulum, summo pioq́; cum desiderio Deum Opt. Max. Amplitudini, Inclytissimæ progeniei, familiæq́; tuæ faustum propitiumq́; in æternum expeto. Placentiæ xij. Kal. Maij. 1587. (1)


Serenissimæ Amplitudinis tuæ

Subditus humillimus & mancipium fidum

Antonius Anguisola Medicus Placentinus.

(1) 20 Aprile 1587





DE SIMPLICIVM MEDICAMENTORVM,

QVAE SVNT IN VSV MEDICO apud Pharmacopolas, nomenclationibus, Naturis, locis, & bonitatis Nota,

NECNON ET DE EORVNDEM substitutis ordine litterarum.

A



BSINTHIVM est herba, quæ vocatur à Græcis, Absinthion; Arabibus, Assinthium: Italis, Assenzo: Placẽtinis, Medigo, Germanis, Vuermort, & etlz: Hispanis, Asentios; & Alosna: Gallis, Aluyne & Absince. Huius quinque recensentur genera, vulgare, Ponticum, Marinum, seriphium, & san-

tonicum. In officinis reperitur solùm vulgare campestre & montanum; quod est fœdo, virosoq; odore præditum, adstrictionisq; expers, & ob hoc ab vsu medico est reyciendum, in huiusq; locum debet recipi Ponticum, quod caule folijs, flore, & semine constat multò, quàm vulgare nostrum, minoribus, sapore amariusculo cui non parua vis adstrictoria coniuncta est; odoreq; grato. quod nascitur non tantùm in Ponto, à quo sic denominatur, sed etiam in Pannonia, Transyluania, & Bohemia; seritur etiam in multis Italię hortis, præsertim ciuitatis Placentiæ mea industria; in huius defectu potest trahi in vsum Mentha græca à Placentinis herba sanctæ Mariæ nuncupata.

ACACIA vocatur à Græcis, Akakia: Arabibus, Achachie: Italis, Acacia, est succus fruticis ægyptiæ folliculum proferentis, ex quo expressus siccatur in vmbra, qui est colore rufo, & grato odore præditus; quo nos caremus; in cuius locum subrogari potest succus foliorum ledi, vel Rhois; siue lentisci.

ACETOSA, vocatur à Græcis, oxalis, Arabibus, Hamad: Germanis, Sauer ampher: Hispanis, Azederilha: Gallis, Ozeille, vinette, & salette: Italis, Acetosa: Placentinis, herba brusca, & Salina: est olus hortense vulgaris notitiæ cuius folia & semina trahuntur ad vsum medicinæ.

ACETVM, vocatur à Græcis, oxos: Arabibus,

bibus, chal: Italis, aceto: Germauis, essig: Hispanis, vin agre: Gallis, vin aigre: est liquor, qui ex vino alterato & modicè corrupto conficitur; Acetum paratum habeat Pharmacopola ex optimo vino albo & nigro.

ACORVM, vocatur à Græcis, AKoron: Arabibus, vage, seu vgi: Italis, acoro: officinis, Calamo aromatico: est radix plantæ, quæ profert folia Iridis, sed angustiora; sapore acri, grato odoreq; recens prædita, & non cariosa, probatur; cuius est tantum vsus.

ADHIL, est euphragia. vide. E. cap. de Euphragia.

AGARICVM, vocatur à Græcis, Agarikon: Arabibus, Garicum: Italis, Agarico: Germanis, Dannen schuuam: Hispanis, Agarico: Gallis, Aagric. est adnatum seu Fungus laricis caudici arboris inatus, colore albo, gustu primò dulci, mox amaro cum leui acrimonia. Probatur album, leuissimum, & recens. In Tridentinis syluis à laricibus copiosum & optimum euellitur.

AGNVS CASTVS, vocatur à Græcis, Agnos & lygos: latinis, Agnus, vitex, & salix amerina: Arabibus, Bengiechest: Germanis, schaffs mulle: Hispanis, gatillo casto: est Arbuscula; cuius semen est in vsu medico; quod est gustu acre et adstringens; recens debet esse in prõptu.

AGRESTE, vocatur à Græcis, omphakion:

latinis, Omphacium: Germanis, Agrest: Hispanis, Agraz: gallis, veriust est succus ex vuis immaturis vitis domesticæ, vel labruscæ expressus sole vel igne tandiu coctus et desæcatus vt inclarescat.

AGRIMONIVM, vocatur à Græcis, Eupatorion, & Hipatorion: Arabibus, Gafet: latinis, Eupatorium, & Hepatorium: Italis, Agrimonia: Placentinis, lagrimon: Germanis, ódermenig: Hispanis, agramonia: Gallis, aigremoint. est herba fruticosa vnicum efferens caulem, lignosum, nigricantem, rectum, tenuem, hirsutum cubitalem & interdum ampliorem; folijs per interualla quinque folij aut canabis similibus quinquepartitò & amplius diuisis nigricantibus & ipsis per ambitum serratis: semen medio caule erumpit, pilosum, deorsum pendens, quod siccatnm vestibus inhæret. Animaduertant græseplasiarij, quod in medicamentis compositis græcorum et Auicennæ hoc vti debent; in Mesues verò compositis Ageratum Dioscoridis est vsurpandum; quod frequens nascitur in subalpinorum valle lanze nuncupata; nec non in alueo Torrentis Bononiensis, qui sauna appellatur.

ALABASTRVM, vocatur à Græcis, lithos alauastritis. latinis, lapis Alabastrites: Italis, Alabastro. Aromatarij hunc lapidem in officinis adseruent, quia non solùm vasa ex ipso fabrefacta sunt vtilia pro conseruandis pretiosis conditis, & præsertim vnguenta, vt à rancore vindicentur,

dicentur, verum etiam quia composita ingreditur. Probatur si læuore pellucido cum duritia, & colore melleo in vertice maculoso extiterit. In huius locum substitui potest candidum, modo sit Durum.

ALKEKENGI, vocatur à Græcis, Stryknos alikakauos, & physalis. Arabibus, alkekengi: latinis, Halicacabus, & Vesicaria: Italis, Halicacabo: Placentinis herba del corallo: Germanis, Lauden Kirsen: Hispanis, bexiga di perro: Gallis, Benguenaudes: est herba vulgaris notitiæ, quæ parùm differt à solatro officinarum, nisi quod habet folia latiora; cuius caules adulti gerunt folia terram spectantia & folliculos orbiculatos vesciculis similes; in quibus continetur semen corrallio æmulum; cuius est vsus.

ALOE, vocatur à Græcis, Aloi: latinis, Aloë: Arabibus, sabar, et sebat: Germanis, Alepatic, & bitter aloes: Hispanis, bierua babosa: Gallis, Aloes seu perroquet: Planta est similis scyllæ seu squillæ, quo ad folium, quod fert crassum, pingue, modicè latum, rotundum, retrorsus pandum, vtrinq; ex obliquo longioribus interuallis striatum, in spinulas desinens; in quamplurimis Italiæ locis virescit, præsertim Romæ, Neapoli, & Venetijs, in fictilibus vasis seruata ad spectaculum potius, quam ad Medicinæ vsum. Huius foliorum succus contusione, & expressione extractus ad nos affertur; qui duplex specta-

tur, Caballinus sic appellatus, epaticus seu socotrinus; hic defertur ex Insula socotora Arabiæ et AEtiopiæ contermina. Ille Aloes succus præstat, qui est boni odoris; syncerus; omnis doli expers; nitidus, rufi coloris; friabilis, Iecinoris modo coactus, facile liquescens, & eximiæ amaritudinis.

ALTHÆA. *vocatur à Græcis, Althæa, iuiskos & euiskos. Latinis, Medica, Althæa, Ibiscus, seu Ebiscus; Italis, maluauischio: Placentinis, bonauischio: Arabibus, chathmi, siue chathmie & Rosa zaueni: Germanis, ibisch & heluurtz: Hispanis, bierua cannamera & Marmaie: Gallis, guimauues. est herba fruticosa notissima; fert folia, vt panis porcinus, rotunda, lanuginosa; florem rosaceum; caulem bicubitalem; Radix subest lenta, & alba; cuius & seminum est vsus.*

ALVMEN, *vocatur à Græcis, styptiria: Arabibus, seb: Italis, Alume: Germanis, Alun, & Alaun: Hispanis, Alumbre. Huius quinque reperiuntur genera in Pharmacopolarum officinis.*

Rupeum, quod Alumen Rocchæ dicitur, conficitur ope ignis ex durissimo quodam lapide in Terræ visceribus contento.

Zuccharinum, à metæ zuccharinæ fastigij forma sic nuncupatum, quod paratur ex alumine Rocchæ crudo, Ouorum albuminibus, & stillatitia Rosarum acqua.

Squamosum, quod Alumen scaiole vocatur,

tur, fit vi ignis ex lapide ſquamoſo vitri modo pellucido, cuius laminæ ſunt tenuiſſimæ, cypſiq; modo albeſcunt.

Plumeum, hoc perperàm Alumen dicitur, eſt namque lapis à Dioſcoride Amiantus appellatus, qui in ignem coniectus non comburitur. Præter hæc dantur alia Aluminum genera à Dioſcoride deſcripta, quæ, vt audiui, poſſunt haberi es puteolis campaniæ præter pauca quibus caremus. In Figulorum officinis ſpectatur alumen, quod Fecis dicitur; fit è, vini fæcibus conformatis panibus, deinceps ſole ſiccatis, & igne tandiu peruſtis donec candidi euaſerint; conſpicitur etiam in Apothecis vitriarijs Alumen catinum, quod conficitur ex Kali, quæ ab Italis dicitur, ſoda; pro expurgandis in fornacibus vitris.

ALVM, eſt ſymphitum petreum Dioſcoridis, cuius vice accipitur conſolidæ maioris radix.

ALYPIA, Alypon eſt Thithimali ſpecies, de qua Dioſcorides. vide cap. de Turbith littera T.

AMBRA, vocatur a Græcis, Ambar: Arabibus, Hambar: latinis, Ambarum: Italis, Ambra & Ambracane: Tot ſunt opiniones, quæ de huius natura ſcriptorum monumentis ſunt traditæ, vt cui ſubſcribere debeam ſim neſcius; tamen vt liberè votum meum proferam, ſuccum in Terræ viſceribus coctum elaboratum, & concretum eſſe cenſeo; nam ſicut ſulphur res fætida,

& Tubera terræ benè olentia spontè sub terra proueniunt, quid prohibet quin Natura hunc succum ita odoratum possit producere? D. Grazias ab Horto Medicus Lusitanus, & Christophorus Acosta Medicus Chirurgus Africanus idem iudicant. Quorum sententiæ videtur adhærere Diodorus siculus lib. 3. suæ historiæ; dũ situm, naturam, & ritus Arabiæ prodit; In quibusdam locis, inquit, effossa Terra, aliquæ reperiuntur suauè olentes Glebæ, & Philostratus idem asserere videtur lib. 2 suæ de Apollonij Tyanei vita historiæ, scriptum namq; reliquit, quod dum Apollonius cum comitibus suis caucaso appropinquaret olentis terræ iucundum odorem sensit. Huic ego odoramento palmam inter res odoratas defero. Amibarum ex AEthiopia ad nos defertur optimum; quod spectatur syncerum, candicans, vel cinericeum, siue ex vtroq; mixtum, læue, & oleosum seu pingue, adeò vt si acu pungatur quid oleo simile emittat.

AMENTVM AMIANTVM, est Alumen plumeum officinarum. Vide. A.. Alumẽ.

AMEOS, Vocatur à Græcis, Ammi: Arabibus, Nanachua, & Nanachue: Italis, & hispanis, Ammi: Germanis, Amey: est herba fruticosa, quæ Anethum nostrum quasi æmulatur. huius semen est in vsu. probatur candidum odore origani, gustu acri & sub amaro. ex oriente ab Alexandria AEgypti ad nos affertur, nec nõ ex Apulia,

lia, sed non est tantæ efficaciæ.

AMYGDALA, *vocatur à Græcis, Amygdala: Arabibus, lauci: Italis, Amandola, Armandola, & Mandorla: Germanis, Mandelkern: Hispanis, Almendras: Gallis, Amandes: Arbor, quæ huius nominis fructum producit est vnà cum fructu notissima; cuius duo in officinis genera conspiciuntur; Amydalæ, inquam, dulces & Amaræ; inter dulces antecellunt Ambrosinæ sic appellatæ.*

AMYDVM, *vocatur à Græcis, Amylon: Arabibus, Nixe: Italis, Amido: Germanis, Amlumg: Hispanis, Amydon: Gallis, Amydum: Latinis, Amylũ est res factitia omnibus nota quod fit ex tritico optimè macerato. Probatur recens, candidum, læue, & minimi ponderis.*

AMOMVM, *vocatur à Græcis, Amomon: Arabibus, Hamama: Italis, Amomo. est frutex Armeniaca, qui ex ligno conuoluitur in Racemi modum, flore, vti candidæ violæ, paruo; folijs Brioniæ similibus. Lignum eligitur recens, candidum, vel subrubrum cum racemis semine plenis, graue, valde odoratum, gustu acre & mordens, & non cariosum. in huius locum Acori radix subrogatur.*

ANACARDVS, *vocatur à Græcis: Anakardion: Arabibus, Beladur: Latinis, Anacardium: Italis, et Hispanis, Anacardo. est fructus Arboris, quæ nascitur in Siciliæ mõtibus flammas eructantibus, auium cordibus non dissimilis, colo-*

re

re etiam cordis modo rufeſcente, quando ab Arbore decerpitur; ſub huius fructus cortice ſubeſt liquor mellis craſſitie ſanguinis in morem rubeſcēs, ſub quo eſt nucleus paruæ amygdalæ effigie; liquor tantùm pro vſu probatur.

ANETHVM, vocatur à Græcis, Anithon: Arabibus, ſebet: latinis, Anethum: Italis, anetho: Placentinis, Anide: Germanis, Dyllen, & Hoch kraut: Hiſpanis, Eneldo: Gallis, Anet. eſt herba fruticoſa, quæ adeò eſt fœniculo ſimilis vt ſæpè multi decipiantur niſi ſemen prius deguſtauerint. quod eſt in vſu.

ANGVRIA, vocatur ab Arabibus, Dullaba: Latinis & Italis, Anguria: Germanis, Gurchen: Hiſpanis, cogombro: Gallis, cogombre: eſt Planta oleracea, quæ ſerpit ceu Peponum planta, & magnitudine fructus conſimiles profert, carne intus candida vel ſub purpura ſcente guſtu inſipido, aliquando dulci, & aliquando ſubacido; nigris ſeminibus; quorum eſt vnus.

ANISVM, vocatur à Græcis, Aniſon: Arabibus, Anexiſſum: Latinis, Aniſum: Italis, Aniſo: Germanis, Anisz, & enisz. Hiſpanis, Matalua & hierua dulce: Gallis, Anis. Herba eſt hortenſis, quæ fert folia petroſelini hortenſis folijs ſimilia at latiora & odore gratiora, conſpicitur in aliquibus viridarijs Huius ſemen habetur in officinis, quod eſt paruum, oblongum, acre, ſubamarum, & odoratum Anonis vide. O cap.

de

de onoride.

ANTIMONIVM, *vocatur à Græcis, stimmi: Arabibus, Aitmad, seu Atimad: Italis, stibio, & Antimonio. Germanis, Spyeszglasz, & Rohspyeszglaz: Hispanis, Piedra d'Alcohol: est Metalli species, quod è terra effoditur. Probatur illud, quod fractum est crustosum, fragile, splendidissimum, & syncerum nihil terræ aut sordidi habens; Asseruatur in officinis crudum, vstum, & præparatum chymistarum artificio; quod est solutiuum; hoc ab vsu reijciendum esse censeo tanquam non tutum & perniciosum medicamentum.*

ANTISPODIVM, *vocatur à Græcis, Antispodion: est id quod in spodij locum subrogatur; in Medicamentis, quæ intus in corpus sumuntur, ebur combustum, vel ossa dactylorum vsta substituuntur; in extra admouendis tutia vera seu Pompholix.*

ANTOPHILOS, *est caryophyllum.* *Vide. G. cap. de Garioffilo.*

APIVM, *vocatur à Græcis, Selinon: nomen est plura herbarũ genera significans; Verùm apud officinas illud designat, quod vocatur à Græcis Eleoselinon: Latinis, Apium palustre & paludapium: Arabibus, asalis; Italis, apio palustre: officinis & Placentinis, apio: Germanis, epssich, & eppich: Hispanis, perexil dagoa & Apio: Gallis, Persil de leau. Ego istud apium ab vsu reijcerem, & in huius locum folia illius apij subrogarem,*

quod

quod à Græcis vocatur Ipposelinon: Arabibus, Salis: Italis, Hipposelino, & apio maggiore: Placentinis, liuistigo: Germanis, liebstoKel: Gallis, ache, & ache large; in locum radicis apij substituerem Pastinacæ Syluestris radicem.

ARCHEVTIDES, sunt Baccæ Iuniperi.

ARGEMON, Planta est nobis ignota. pro hac trahitur in vsum chelidonium maius, quod vocatur à Placentinis, Celidonia: Græcis, chelidonion Mega: Arabibus Kauroch; & Memiram: Germanis, schleuurtz, & schelkraut: Hispanis, celiduenha, & yetua golundrinhas: Gallis, chelidonie, & esclere. Herba cunctis notissima.

ARGENTI SCORIA, vocatur à Græcis, Archyru skoria: Arabibus, chabt: Latinis, Argenti recrementum: Italis, scoria dell' Argento, & loppa. Argentum est metallum in visceribus terræ genitum, & postea effossum pro vsu cunctis non incognitum; huius verò scoria seu recrementum vitrum illud æmulatur, quod vulgò dicitur smalto, adeò vt difficile sit alterum ab altero discernere; nigricat tamen cumplurimùm ornaturq; quibusdam lineis cæruleis & viridibus, & aliquando vnico colore viridi siue cæruleo spectatur. In Tridentinis fodinis maxima in copia reperitur in Metallorum fornacibus.

ARGENTVM VIVVM, vocatur à Græcis, Hydrargyros: Arabibus, Zaibach: Italis, Argento viuo: Germanis, queckfilber: Hispanis,

Azo-

Azogue est metallum vulgaris notitiæ & ob eius assiduum motum admirandum; asseruatur in officinis legitimum.

ARISTOLOCHIA, vocatur à Græcis, Aristolochia: Arabibus, Zaraued: Italis, Aristologia: Placentinis, Taramei: Germanis, osterlutey. Hispanis, Astronomia: Gallis, foterlle. Herba est notissima. Huius dantur tria genera; Rotunda, longa, & clematis: apud Aromatarios radix rotundæ seruatur pro vsu; huic nititur planta, quę fert folia hederacea, odorata, acria, mollia, & subrotunda, radix verò est rotunda à qua planta sic denominatur vt & malum terræ.

ARMONIACVM, vocatur à Græcis, AmmoniaKon: Arabibus, Assach: Latinis, Ammoniacum: Italis, Armoniago: Hispanis, Aquaxaque; et Armoniaque est lachryma seu liquor plantæ ferulaceæ peregrinæ. Probatur Ammoniacum si fuerit Thuri simile, bene coloratum, minutis glebis, densum, syncerum, castoreum odorem imitans, & gustu amarum.

ARMENIVS LAPIS, vocatur à Græcis, Lithos armenios. Arabibus, Hagiar armeni: Italis, Pietra armenia: est lapis coloris cærulei, vel maximè viridis communicato colore cum cæruleo, læuis, friabilis, & per quam æquabilis.

ARON, vocatur à Græcis, Aron: Arabibus, sara; Barbaris Aron, Barba aron; dragontea, minor, & serpentaria minor: Italis, Aro, & Gigaro: Germa-

Germanis, Clein natter vurtz: Hispanis, yaro: Gallis, vid de chien. est herba, quæ fert folia similia dracunculo Dioscoridis, longiora tamen & paucioribus distincta maculis; Caulem dodrantalem subpurpureum pistilli specie, à quo semen crocei coloris exit; radicem fermè rotondam, à qua radicularum germina prodeunt. quę seruatur sola pro vsu. Nascitur copiosa in Agro Placentino propè vinearum sepes in collibus.

ARSENICVM vocatur à Græcis arrenikon: Arabibus, zarnich: Latinis, arsenicum, arrhenicum, & auripigmentum: Italis, orpimento: Germanis, auripigment, & operment: Hispanis, oropimente. est res fossilis & metallica. Probatur crustosum syncerum, aureo colore, micans, & in squamas fissile datur etiam Arsenicum rubeum, de quo vide s cap. de sandaracha, Dantur etiam duo Arsenici factitij genera, quorum vnum vocatur Arsenicum chrystallinum, alterum verò Realgad, Risagal, & Rizagal; Primum chrystallinum seu sublimatum arte paratur ex Arsenici naturalis scobe & sale; alterum verò & secundum ex Arsenico & sulphure simul mistis & combustis eodem mangonio.

ARTHANITA, est panis porcinus, vide. P. cap. de Pane porcino.

ARTEMISIA, vocatur à Græcis, Artemisia: Arabibus, Berengesif; Italis, Artemisia,

&

& artemilia; Placentinis, verzolo; & herba di S. Iacomo: Germanis, beyfuosz, e, sant Iohans gurtel: Hispanis, artemisia: Gallis, armois. est herba vulgaris notitiæ Absinthij forma, at maioribus & pinguioribus folijs & ramusculis, odore acuto & non ingrato; quorum est vsus.

ASSA FETIDA, est lachryma seu liquor Arboris Indicæ, quæ sic denominatur ob fœtidum & virosum odorem, legitima asseruatur in officinis.

ASARVM, vocatur à Græcis, Asaron: & Nardos agria: Arabibus, asaron: latinis, asarum: Italis, Asara, & bacchara: Germanis, hasel vurtz: Hispanis asara baccara: Gallis, cabaret. est herba, quæ fert folia hederacea, minora & rotundiora; flores cytino hyoscyami similes, inter folia proximè radicem emicantes odoratos; radici nititur geniculatæ, tenui, obliquæ, graminis radici simili, à qua radicularum germina pendent numerosæ, odoratę, gustuq; mordaces; quæ vsui medico sunt magis vtiles. Prouenit copiosa planta hæc in agro Placentino in opacis, vliginosis, & incultis.

ASFODELVS vocatur à Grecis, asphodelos: Arabibus, chanti, Italis, asfodelo, & amfodillo: Latinis, hastula regia: Germanis, goldwurtz & heinisch: Hispanis, gamones & gamonites; Gallis, affrodiles. Herba est in syluis frequens, folijs porraceis, at maioribus; caule lęui; radix subest rotunda, alba, numerosa, glandibus simi-

ſimilis, guſtu acri. Naſcitur in agro Placentino in viani & arcis alzesij Nemoribus.

ASPALATVM, eſt lignum Arboris peregrinæ orientalis; in cuius locum ſubrogatur lignum Aloes.

ASPHALTVM eſt Bitumen Iudaicum. vide. B. de Bitumine.

ASPARAGVS vocatur à græcis, Aſparagos: Arabibus, helium: Italis, ſparſo, & aſparago: Germanis, ſpargen: Hiſpanis, eſpargos: Gallis, eſparge. Herba eſt cunctis nota, hortenſis præſertim & domeſtica, quæ Regius aſparagus appellatur, cuius caulicuoli in brodio cocti et pipere cõditi prima menſa pro obſonio & medicamẽto adeò commendantur; præter domeſticum aſparagum eſt syluestris, cuius radices & ſemina trahuntur in vſum medicum.

AVRIPIGMENTVM. vide. A. cap. de Arſenico.

AVRVM vocatur à græcis, chryſos: Arabibus, de heb: Italis, oro: Germanis, guld: Hiſpanis, oro. eſt metallum omnium metallorum præſtantiſſimum, quod in terræ viſceribus ortum poſtea effoditur; e quamplurimorum etiam arenis fluuiorum elicitur. Huius bracteæ ſiue folia ſeruãtur in officinis pro vſu; ad inbibẽdam videlicet odorũ, ſaporumq; medicamentorum ingratitudinem.

AVTITORA AVTORA eſt Antora Matthioli; in cuius locum ſubrogatur Zedoaria.

BAC-

B



ACCA Tria ſunt baccarum genera, quæ in officinis cuſtodiuntur pro vſu, lauri quippè, Myrti, & Iuniperi.

BACCHARA vocatur à Græcis, Baccharis: Latinis, baccharis, Italis, bacchara: eſt herba fruticoſa, cuius folia ſunt aſpera, violæ, & verbaſci media magnitudine; caulis anguloſus, cubitalis, modicè aſper; flore purpureo, ſubalbicante, odorato; radicibus nititur elleboro nigro ſimilibus, quibus odor ineſt cinnamomo proximus; quibns officinæ carent; Naſcitur, vt audiui, in Agro Ariminenſi in vertice montium aſperorum & ſqualidorum.

BALAVSTHIVM eſt flos maligranati Sylueſtris cytino ſimilis, Malum granatum ſeu pomum granatum vocatur à Grȩcis, Rhia: Arabibus, Roman: latinis, malum punicum: Italis, pomo granato melagrano, & melogranato: Germanis, granato epffel: Hiſpanis, granadas, & romanas; Gallis, pomme de granade, & migrenes. Horum tria reperiuntur genera, Dulce, acidum & vinoſum, quod Aromatarij Muzzum vocant, & quaſi miſtum ex ſapore acido & dulci; ab Acido tantùm ſuccus exprimitur, qui vinum granatorum appellatur, quo vtuntur medici; Huius etiam aſſeruantur cortices & Acini pro vſu. in locum Balauſthij granati Sylueſtris

B do-

domesticum subrogari potest, præsertim quod venetijs ad nos affertur. vide. G. de granato.

Balsamum vocatur à græcis, Valsamon: Arabibus, belsan: Italis balsamo. Balsamum duplici distinguitur genere, vnum nanq: est naturale alterum factitium. Naturale adhuc duplex orientale, & occidentale. Naturale est lachryma seu liquor Plantæ Iudaicæ, seu Ægyptiæ, quod ad nos non defertur, vti neq; lignum & semen; in cuius locum subrogatur oleum nucis moschatæ seu succus foliorum myrti odoratæ. Balsamum occidentale habemus, quod ex orbe nouo defertur; Myrrhæ potius stactis imaginem refert quam Balsami; & fortè ob facultates hoc illi est inditum nomen; præfertur illud quod à planta incisa spontè emanat; de Notis & facultatibus huius Nicholaus Monardes Medicus Hispalensis suo in libello de simplicibus occidentalibus diffusè pertractat. Balsamum factitium triplex datur, vnum quod arte chimistica conficitur ex pluribus simplicibus & aromatis; alterum, quod in Ædificiorum antiquorum fundamentis reperitur contentum in vasis fictilibus vel vitreis ex vino & oleo Oliuæ longo temporis tractu confectum; Tertium & vltimum, est Miscellaneum, quod antiquitus in cadaueribus humanis prius exenteratis ponebatur pro præseruatione à putredine, ex Aloe, Thure, Myrrha & croco concinnatum; quæ postea

corpora

corpora ſic præparata vulgò Balſamata appellabantur.

B A L S A M I T A *eſt Mentha aquatica, quæ mentham hortenſem æmulatur, fert tantùm folia latiora; naſcitur in Aquoſis & riguis locis; frequentiſſima reperitur in agro Placentino. vide. M. cap. de Mentha.*

B A R D A N A *vocatur à Græcis, proſopion & proſopis: Latinis, perſonata, & perſonatia: Italis, Bardana, perſonata, Napola maggiore, & Farfanaccio: Placentinis, bardana: Germanis, grosskletten: Hiſpanis, bardana & pagama era mayor: Gallis, gloteron & bardana. Herba eſt frnticoſa, quæ fert folia cucurbitina, ſed maiora, hirſutiora, nigriora, & craſſiora; caulem albicantem, & interdum caule vidua ſpectatur; Radici nititur, quæ intus eſt candida, foris verò nigra. Lappa minor officinarum vocatur à Græcis, Xanthion: latinis, xanthium; Italis, lappola minore; Placentinis, nappola: Germanis, Bttelersleÿsz, & ſpitaKletten: Hiſpanis, lappa menor: Gallis, gloteron & grapellas. Hæc planta eſt vulgaris notitiæ naſcitur in campeſtribus, veſtimentis tranſeuntium propè ipſam pillulis ſpiroſis adeò pertinaciter adhæret, vt maxima cũ difficultate poſſit ab ipſis abſq; vtriuſq; noxa ſeparari; folia fert Atriplicis per ambitum ſerrata; quæ Naſturtium odore imitantur.*

B A T T I S E C V L A *vocatur à Græcis,*

kyanos: Latinis, cyanus: Italis, battisecula, battisuocere, & fior campese: Placentinis, monighina: in campis Maio & Iunio mensibus numerosus flore cæruleo seu cyaneo, à quo sic cognominatur, præditus, spectatur.

BAVCIA est pastinaca. vide. P. de Pastinaca.

BAVRACH est Nitrum. vide. N. cap. de Nitro.

BDELLIVM vocatur à Græcis, Bdellion: Arabibus, mochel: Italis, bdellio: Hispanis, bedellio. est lachryma, seu liquor arboris saracenicæ vel arabicæ. Probatur si sit translucidum Taurini glutinis seu Taurocollæ in morem; tactu facilè liquescens, syncerum; gustu amarum, suffitu odoratum, & quod accensum odorem emittat vngui odorato similem. Tale nostra tempestate ad nos non affertur, vel est rarum; id nanq; quod vt plurimùm in officinis spectatur est factitium, vel adulteratum. Atrius & pinguius eligatur.

BEDEGVAR vocatur à Græcis, akantha leuki. Arabibus, bedeguard: Latinis, spina alba: Placentinis, scarzon biancho: Planta est Montibus & Syluis familiaris; folia fert albi chamæleonis seu Carlinæ, angustiora tamen candidiora, parum hispida & aculeata; caulem supra bina cubita altum, pollicari & ampliori aliquando crassitudine, albicantem intus

cauum;

caum ; in cuius cacumine capitulum ineſt ſpinoſum Echini marini æmulum ſed minus & oblongum, flores emicant purpurei ; in quibus eſt ſemen carthami ſed rotundius. Radix aſſeruatur pro vſu.

BELZOINVM vocatur à Mauritanis, louanzaoi : Indis ; cominhan : Italis, belgioino & belzoino. eſt lachryma ſeu liquor, qui ſtillat ex quibuſdam Arboribus vaſtis & altis in nonnullis Indiæ or. Inſulis, in Traprobana ſiue ſumatra, ſione, Marthabano & Iaoia. Belzoinum illud eſt eligendum, quod foris rufum eſt, intus verò candidum & translucens, dilutumq; albeſcit, & odoratui eſt gratiſſimũ.

BEN vocatur à Græcis, Valanos myrepſiki: Arabibus, haben & ben : Latinis, glans vnguentaria : Italis, ghianda onguentaria: Hiſpanis, auellana dellas Indias, tartago, & muia. Fructus eſt arboris peregrinæ magnitudine Auellanæ ſeu Ponticæ nucis, forma piſtacium vulgare fermè refert, albo cortice, triquetro, fractu facili, nucleo intus conferto & admodum pingui ; ex quo oleum exprimitur, quod de ben vocatur Myropolis neceſſarium pro conſeruandis & vindicandis oleis odoratis à rancore. Hæc nux vnà cum eiuſdem oleo in officinis aſſeruari debet pro vſu.

BERBERIS eſt planta nobis ignota, in cuius fructus locum ſubrogatur Creſpini fruticis

fructus, cuius Planta frequens prouenit in Agro Placentino potissimùm in alueo Torrentis, qui Nurus dicitur; Assurgit hæc e, terra virgultis plurimis vti corylus abimo ad summum spinis longis, acutissimis, compressis, albicantibus, quæ ternæ per interualla ex eodem puncto proueniunt; flores Maio emittit luteos, racematim cohærentes odore grato; quibus postea succedit fructus acinis oblongis racemo pendulis, qui Augusto maturi acinis mali granati sunt similes, figura attamen longiores gustu acido & subaustero; quorum est vsus.

BETA *vocatur à Græcis, Teutlion, teutlon. & Seutlon: Arabibus, decka & celb: Latinis, beta; Italis, bietola: Placentinis, bida: Germanis, mangolt, & piessen: Hispanis, aselgas; Gallis, porree. est olus hortense notissimum, cuius duo spectantur genera* Album & Nigrum. *Beta alba præfertur.*

BETONICA *vocatur à Græcis, kestron: & psychotrophon: Arabibus, chastara: Germanis, betonien: Hispanis, bretonica: Gallis, betoesne, & betoine. Herba est nota, quæ fert caulem, tenuem, cubitalem; folia quercus, mollia, longa, in ambitu diuisa, odorata, & propè radicem maiora; in sumitate caulium semen spicatum emicat. Apud pharmacopolas vera nunc spectatur; anteactis verò temporibus vtebantur Alectorolopho Plinij lib. 27. cap. 5.*

suis

ſuis notis expreſſo latina voce Criſta galli dicitur, Placentinis mulierculis betonica.

BEZAHAR, Belzahar, & Bezar. eſt lapis, qui inuenitur in interioribus, in ventriculo, inquam, ſeu ſecundum aliquorum ſententiam inter cutem cuiuſdam animalis Indiæ orientalis occidentalisvè, & Perſiæ Montium Accolæ quod vocatur à Græcis, Tragelaphos: Latinis, Hircoceruus, & Ceruicapra: Indis, Pazan. Huius lapis figura eſt varia; aliquis nanq; refert os dactyli longitudine; aliquis caſtaneam figura; aliquis ouum Columbinum; aliquis Hædi Rhenes facie repræſentat; & ſicut figura, ita colore inter ſe diſtant; horum etenim aliquis eſt colore caſtaneæ; aliquis citrino eſt præditus; At maior pars viridi fuſco colore ſpectatur, qualis eſt color pomorum inſanorum, quæ à Placentinis vocantur Mirizane morelle; vel cinericio colore obſcuro donantur. Probatur magnus, ſplendidus, & laminis Cæpæ modo compactus, cuius ſecunda lamina prima & externa eſt ſplendidior; Intusq; cauus, cuius in cauitate puluiſculus continetur, qui non ſolùm in fractione conſpicitur, ſed etiam quando eſt integer perſentitur, nam auri admotus, ſonum ſi quatias, remittit. Pauci ſunt Pharmacopolæ, qui in ſuis officinis hos cuſtodiant lapides ob ipſorum ingens pretium in horum locum poteſt ſubrogari lapis Anguinus, qui inuenitur in agro Placentino ab

Aratoribus potissimùm in collibus & Montibus; Mulieres rusticanæ vtuntur hoc lapide spontè perforato pro fusorum verticillo; colore, & magnitudine inter se distant; figura, quæ est rotunda, conueniunt. lapis etiam smaragdus substitui potest.

BISTORTA *est herba ab Antiquis suis in monumentis non descripta; fert folia lapathi seu Rumicis, læuia, supernè rufescentia & infernè cæsia; radici nititur serpentis iacentis modo contractæ & intortæ, colore rubeo; quæ asseruatur pro vsu Medicinæ. prouenit frequens in Agro Placentino in Monte, qui, vulgò, dicitur Careuole.*

BITVMEN IVDAICVM, *vocatur à Græcis, Asphalthos: Arabibus, chefer alihead: Italis, Bitume & Asphalto: Germanis, Iudeleim. ex Iudea olim deferebatur legitimum; sed id, quod habent Aromatarij est res factitia; legitimum nanque splendet modo purpuræ, est ponderosum, & odoratum valdè ferit. In huius locum substituatur pix liquida quæ sit splendens, syncera, & læuis.*

BLATA BISANTIA *& biscutia, vocatur à Græcis, Onyx: Latinis, vnguis odoratus: & conchula Indica: Italis, vnghia odorata, Arabibus, Ad far altaib est conchylij marini tegumentum, quod spectatur legitimum in officinis.*

BOLVS ARMENVS, *vocatur à Græcis,*

Miltos

Miltos armenia: Latinis, Terra armenia: hac nostra tempestate caremus, huius nomine seplasiarij venundant terram lemniam, quæ à Græcis vocatur miltos limnia, & sphragis: Latinis, terra lemnia, Rubrica lemnia, Sigillum lemnium, & terra sigillata: Arabibus, Thim machtum: Hispanis, tierra selliada. Terra Armenia siue Bolus armenus vel Xarmenius est colore, luteo palescente Ochræ instar, contrectataque manùm non inficit, neque est sigillo impressa.

BORRAGO *vocatur à Græcis, Vuglosson: Arabibus, lesan althaur: Italis, borragine & corragine: Germanis, Burretsch: Hispanis, borraia, & Borraiennes; Gallis, borrache. Placentinis, borasa. Herba hortensis tonsoribus & lippis notissima.*

BORAX *vocatur à Græcis, chrysokolla: Arabibus, lezachaldeb; & tincar: Latinis, chrysocolla, & glutinum auri: Italis, ghrisócolla: Germanis, borrass: Hispanis, antincar & borrax. Duplex reperitur, vna naturalis, altera factitia; Naturalis colore porrum refert, & in fodinis ærarijs prouenit; non est tamen ab vsu reijcienda, quæ nigro, albo, aut pallido colore est prædita. Factitia adhuc duplex conspicitur; vna est ex vrina puerorum in æreo mortario & suo pistillo agitata confecta; altera verò ex alumine rupeo siue Rocchæ, sale nitro, & quibusdam alijs additis parata.*

BRANCA VRSINA vocatur à Græcis, akanthos: Latinis, acanthus & marmoraria: Italis, acantho, & branca vrſina: Germanis, beren klauu: Hiſpanis, yerua giguante, & branqua vrſina; Gallis, branize vrſine. Herba eſt ferens folia lactucaceis latiora & longiora, erucæ modo inciſuris diuiſa, nigricantia, pinguia, læuia: caulem binûm cubitorum, digitali craſſitudine, læuem, propè verticem ex interuallis circundatum foliolis ceu nucamenta quædam oblonga referentibus, ſpinoſis; e, quibus flos emicat candidus; ſemen oblongum, luteum; caput thyrſi ſpecie; radices ſubſunt longæ, rubræ, muſcoſæ & glutinoſæ; quæ potiſſimùm vſui Medico inſeruiunt.

BRASSICA vocatur à Græcis, kramui: Karnmb: Italis, cauolo, colo, & verza: Germanis, Koel, Hiſpanis, colles, & couues: Gallis, cholis eſt olus hortenſe cunctis non incognitum. Huius ſemen aſſeruatur in officinis pro vſu.

BRIONIA Vocatur à Græcis, Ampelos leuki, & vrionia: Arabibus, alſeſuera; ſeu Nezarachaſen: Latinis, vitis alba: Italis, vite biancha: Placentinis, zucca ſaluatica: Germanis, ſtickuurtz & teufelkirhsz: Hiſpanis, nuexa & anorca: Gallis, colubrine & couluree. Planta eſt fruticoſa, quæ folijs, viticulis, pampinisq; vitem ſatiuam imitatur, at hirſutiora ſunt omnia; fructus eſt rubeus ſpeciem Racemi referens;

vens; radix ſubeſt magna & craſſa, à qua exprimitur ſuccus vſui medicinæ vtilis, qui eſt aſſeruandus vnà cum radice.

BRVNGI eſt meliſſa. vide. M. cap. de Meliſſa.

BRVSCVS vocatur à græcis, myrſini agria, & Oxymyrſini: Arabibus, cubebe: Latinis, ruſcus & Myrtus ſylueſtris; Italis, ruſco & pongitopo: Germanis, bruoſch: Hiſpanis, ius barba, & gilbarbera: Gallis, bruſco. eſt frutex ferens folia myrti ſed latiora in formam lanceæ mucronata; huius baccæ maturæ rubeſcunt pendentes à medio folio rotundæ oſſeo intus nucleo; quorum vnà cum radicibus eſt vſus.

BVGLOSSVM vocatur à græcis; vugloſſon: Arabibus, leſan althaur: Latinis, lingua bubula: Italis, bugloſa & lingua bouina. eſt herba campeſtris & hortenſis notiſſima in huius locum ſubrogari debet borrago.

BVRSA PASTORIS eſt herba recentiorum; quæ habet folia perambitum ſinuatim laciniata in parte ſumma, in infima verò imitantur ſcabioſæ vulgaris folia; folliculus ſemen continens repræſentat crumenam ſeu burſam à qua ſic denominata eſt herbula; foliorum eſt vſus.

CADMIA

C

CADMIA vocatur à Græcis, Kadmia: Latinis, pariter & Italis, cadmia: Arabibus, climia seu chlimia: Germanis, grauuer, Augustem; officinis, Tutia: duplex spectatur naturalis fossilis, & factitia; fossilis nascitur in Ærarijs fodinis in Cypro, à quibus effoditur; hac officinæ carent. factitia verò, quæ paratur in metallorum fornacibus ex horum vstione, sub nomine tutiæ frequens in officinis conspicitur.

CALAMINARIS lapis, est cadmia fossilis, quæ vocatur à Germanis, chalmei.

CALAMENTVM vocatur à Græcis, kalaminthi: Arabibus, fudenegi, seu faudenegi: Latinis, calamnitha: Italis, calamento: Germanis, vuilden poley: Hispanis, la Neuada: Gallis, poulliet sauuage. Huius herbæ tria reperiuntur genera; vnum folia habet ocimi incana, surculos & caules angulosos & florem purpureum spicatum figuræ subrotundæ: alterum est pullegio simile, sed, maius, & odore longè gratiore: Tertium verò est menthastro cognatum folijs oblongioribus caule & ramulis maioribus: secundum antecellit, pro vsu.

CHALCITIS vocatur à Græcis, chalkitis: Arabibus, colcotar, seu colchotar: Italis, calcithi.

calcithi. est res metallica & fossilis calcanthi seu Vitrioli fodinis prouenit: probatur illa, quæ est æri similis, recens, friabilis, intercursantibus oblongis venis & splendentibus: In agro Tridentino effoditur in quibusdam Montibus propè leuigum pagum. in huius locum subrogatur Vitriolum vstum. Vide. V. cap. de Vitriolo.

CHALYBS *vocatur à Græcis, stomoma: Latinis, chalybs: Italis, acciaio seu azale: Hispanis, acciel: Gallis, accier. est ferri pars magis elaborata à natura & syncerior. Huius ramenta seu squamæ asseruari debent in officinis.*

CAMÆDRIOS, *vocatur à Græcis,* Kamœdris: *Arabibus,* Kemadrius: *Latinis, chamædrys & Trissago: Italis, camedrio & querciuola, Placentinis herba calamandrina & del fegato: Germanis, gamandarle, & bathengel: Hispanis, chamedreos: Gallis, germandree. est herba fruticosa dodrantalis, cuius folia sunt exigua, effigie & diuisura quercus, amara: flore paruo & quasi purpureo ornata.*

CALENDVLA. *est herba hortensis recentioribus tantùm cognita: quam esse calthamVirgilij & Plinij nonnulli prodiderunt: in hætruria vocatur fiore ranzo, ò vero rancio: Placentiæ, herba biancha: expetitur non tantùm pro vsu Medicinæ sed etiam pro acetarijs & ferculis.*

CAMOMILLA *vocatur à græcis, Anthemis:*

themis: & chamæmilon: Arabibus, babunegi: latinis, Anthemis, & chamæmelum: Italis, camomilla: Germanis, camillen: Hispanis, mazanillia: Gallis, camemina & camomille. est herba notissima, quæ in campestribus & segetibus Maio flore ornata prouenit & spectatur, folijs minutis, & floribus intus aureis, foris autem albis circumseptis: quorum est vsus.

CAMPHORA vocatur à græcis, kaphura: Arabibus, chafur: Latinis, caphura: Italis, camphora: Germanis, campher: Gallis: camphre. De huius natura multi multa dicunt, censent aliqui hanc esse gummi arboris vastæ magnitudinis in India orientali, & præsertim in Insula Porne nascentis: nonnulli iudicant esse succum in terræ visceribus concretum, vt lusitani, qui hodiernis temporibus per Meridiem ad calicut orientalis Indiæ emporium nauigant: teneo ego hanc potius esse gummi: huic meæ opinioni subscribit inter recentiores Christophorus acosta africanus medicus chirurgus, qui loca, vbi prouenit, peragrauit: importatur Venetias rudis, ibique igne & arte vitreis organis elaboratur, ita vt albescat & pelluceat. De huius viribus etiam authores inter se dissentiunt; aliqui nanque frigidam & siccam authumant: nonnulli verò calidam impensè statuunt ab experientta edocti: vident nanq; hanc in aquam proiectam conflagrare, esse valdè odoratam, adeoque tenuium partium,

tium, vt ſæpè niſi ſeruetur in vaſis denſis cum ſeminibus lini, Milij, ſeu pſyllij, in auram euaneſcat: quibus experimentis coactus cum his ego conuenio & adhæreo

C A N T H A R I D E S *vocantur à Græcis: kantharides: Arabibus, carariha: Latinis, canthαride: Italis, canterelle: Germanis, goldtkeffer: Hiſpanis, & Gallis canthαrides ſunt animalia ex inſecto genere notiſſima; reperiuntur in frumentis, & Fraxinis. Probãtur ſolidę & recentes.*

C A P P A R I S *vocatur à Græcis, Kapparis: Arabibus, capparet Kappar: Latinis, capparis: Italis, capparo: Germanis, cappren: Hiſpanis, Alcaparras: Gallis, capprez: eſt planta fruticoſa, quæ ſtrata in terra in orbem euagatur; ſpinas habet vt rubus in hami modum aduncas: folia pomi cotoneæ rotunda, fructum oleæ ſimilem, qui quando panditur, promit florem candidum & odoratum, quo poſtea excuſſo non nihil glandis oblongæ figura inuenitur, quod apertum oſtendit grana acinis malorum granatorum ſimilia, pauca & rotunda: nititur radicibus lignoſis, magnis, & numeroſis, quorum eſt vſus. Prouenit capparis copioſius in agro genuenſi: ſpectaturque in aliquibus hortis Placentiæ præſertim in Diui Auguſtini Cænobio.*

C A P I L L V S V E N E R I S, *vocatur à Græcis, Adianthon, ſeu Kallitrichos, ſeu PollyKomos, ſeu Pollytrichos: Arabibus, berſceguaſcen,*

Sceguascen, seu bersausan, seu chulbare alber: *Latinis*, *adiantum*, *capillus veneris albus*: *coriandrum putei*, & *saxifraga*: *Italis*, *capel venere*: *Germanis*, *frauuenher*: *Hispanis*, *culantrillo de pozzo*: *Gallis*, *capilvenere*. *est herba*, *quæ fert folia pusilla coriandri similia*, *in summo incisuris diuisa*: *cauliculi*, *quibus ex oriuntur*, *nigro colore nitent*, *prętennes palmum alti*: *neq; caulem*, *neque florem*, *neque fructum profert*. *Spectatur etiam in officinis altera capilli veneris species*, *quam Teophrastus adiantum nigrum appellat*, *Matthiolus verò paronicchiam*: *quę folijs refert rutę folia aduersa parte pallentia paruis maculis referta*: *in ędificiorum veterum parietibus prouenit*: *qua de re ab aliquibus Ruta parietum & saxifragua vocatur*. *in capilli veneris legitimi locum hęc potest subrogari vna cum trichomane Dioscoridis*, *herbula est sterilis*, *cauliculis tenuibus*, *nigricantibus*, *quincuncialibus*, *à radice statim prodeuntibus folijs rotundis lenticulę figura*, *aduersisque inter se pediculis*: *capillaris ab aliquibus vocatur*: *prouenit copiosa vbique fere in Agro Placentino*: *adiantum verò rarum spectatur*: *affertur ad nos copiosum ex agro genuensi*.

CARDAMOMVM *vocatur à Gręcis*, *Kardamomon*: *Arabibus*, *cardameni*: *Germanis*, *cardamomelin*, *est fructus plantę peregrinę orientalis*. *pręfertur plenum*, *clausum*, *frangenti contumax*, *gustu acre & subamarum*, & *graueolēs*.

In

In huius locum, quia deficit, potest pro maiori subrogari semen Nigellæ pro minori fructus in officinis Melegheta nuncupatus; pro vtrisque etiam radix Cyperi or.

CARNABADIVM est Carui. vide. C. cap. de Carui.

CARPESIVM, ignoratur adhuc quid sit; in huius locum substituitur radix Phu siue valerianæ maioris.

CARPOBALSAMVM, est fructus Plantæ Balsami; in huius locum subrogatur Cardamomum vulgare.

CARTHAMVS vocatur à Græcis, Knikos: Arabibus, kartam, seu chartom: Latinis, cnicus: Italis, zaffrano saluatico & saracinesco: cermanis, vuilder saffran: Hispanis, alacor, & semente de Papagaios: Gallis, saffran bastardo & saffran sauuage. Herba est hortensis mulierculis notissima. huius semen asseruatur pro vsu.

CARVI vocatur à Gręcis, karos: Arabibus, Karui & carnabadi seu carnabadium: Latinis, carum: Italis, caro & carui: Germanis, mattkumieh, & kim: Hispanis, alcarauea: Gallis, carui. Herba est ferens folia Petroselini hortensis, prouenit in Pratis & Collibus; semen tantùm trahitur ad vsus medicinæ.

CASSIA FISTVLA, hoc nomen legitur in Græcorum & arabum scriptis & diuersa significat; apud græcos designat plantam, quæ

ab ipsis dicitur kassia: Italis, canella. apud arabes plantam & ipsius fructum, à quibus sua lingua dicitur vaiarsandar & hiarxamber: officinis, cassia fistula seu solutiua.

CASTORIVM est substantia testium animalis, quod vocatur à Græcis, Kastor: Arabibus, giendedestar, & gendibidestar: Latinis, fiber: Italis, castor: Germanis, byber: Hispanis, biuaro, & biuerio: Gallis, bieure. Huius testes sunt parui & substricti ita vt magnitudine cicera æquent, & spinæ adhærent, nec adimi possunt sine animalis vita; hi, quando sunt recentes, habent intus liquorem mellis instar conclusum; in inueteratis verò ceræ modo concretum odore graui, virosóq; ; gustu acri & mordente; substantia friabili; tunicis naturalibus circundatum; qualis debet asseruari in officinis pro vsu. In huius locum potest admitti vsuale castorium, cum fermè eisdem polleat facultatibus.

CATAPVTIA est lathyris Dioscoridis & esula minor officinarum vide. E. cap. de esula.

CATHENGIT est ebulus. vide. E. cap. de ebulo.

CAVDA EQVINA vocatur à Græcis, Ippuris: Arabibus, daneb alchail: Latinis, equisetum & cauda equina: Italis, coda di cauallo: Placentinis, asprella: qua vtuntur pro abstergendis patinis: Germanis, rotsz chuuartz: Hispanis,

ſpanis, coda di cauallo, & rabo de mula: Gallis, queue de cheual & prela. Herba eſt cunctis non incognita.

CENTAVRIVM eſt herba, cuius duo ſunt genera, maius quippè & minus; Maius vocatur à Græcis, Kentaurion mega: Arabibus, canthurium; Italis, centaurea maggiore: Germanis, reupontic: Hiſpanis, ruipontico: fert folia Nucis oblonga, viridi braſſicarum colore, in ambitu ſerrata: caulem binum cubitorum aut ternum, multis ab radice adnatis, in quibus eminent capita ceu papauerum in rotunditate oblonga; florem cæruleum; ſemen carthamo ſimile ceu lanceis quibuſdam inuolutum; radix ſubeſt craſſa, rubeſcens, grauis, ſolida, ſucco pregnans & tripedalis, acris cum dulcedine & aliqua adſtrictione; cuius eſt vſus in officinis ſub nomine rhapontici & perperàm vt dicemus cap. de rhapontico.

Centaurium minus, vocatur à Græcis, Kentaurion miKron: Arabibus, ſages: Italis, centaurea minore: Germanis, fieber Kraut: Hiſpanis, fiel di terra: Gallis, centauree & fiel de terra. eſt herba ſimilis hyperico caule anguloſo, palmum vix excedente, radice puſilla, flore puniceo in purpuram vergente; quæ ſeruatur legitima in officinis pro vſu.

CENTVMNERVIA, eſt Plantago maior; vide. P. cap. de plantagine.

CERVSSA vocatur à Græcis, Psimmithion: Arabibus, affidagi: Italis, cerosa: Placentinis, biacca: Germanis, bley vueisz: Hispanis, alualyade, & blanquet: Gallis, ceruse. est res factitia ex plumbo & aceto præparata.

CETRACH vocatur à Græcis, Asplinon. Arabibus, sculusendrium: Latinis, asplenum & scolopendrium: Italis, cetracho, & herba dorata: Hispanis, doradilha: Gallis, ceterach. Herbula est vulgaris notitiæ saxis familiaris & præsertim parietibus ædificiorum veterum; fert folia scolopendræ animali similia ab vna radice prodeuntia polypodij modo diuisa, quæ subter sunt flaua & hirsuta, supernè viridia.

CHELIDONIA vide. A. cap. de Argemone.

CHERMES est granum tinctorum. vide. G. cap. de grano tinctorum.

CHERPHE, pro hoc substituitur cinnamomum.

CHERVA hoc nomine plantæ duplices in officinis donantur, quarum vna maior, altera verò minor dicitur. Maior vocatur à Græcis, Kiki seu Kroton: Arabibus, cherua. Latinis, ricinus: Italis, girasole; Placentinis, mirasole: Germanis, vunderbaum; & creuthzbaum: Hispanis, figueira delhinferno: Gallis, palme dieu. est herba fruticosa, folio platani, maiore, læuiore, & nigriore; ramis caudicibusque cauis in

arun-

arundinis morem, semine in pillullis asperis, quod cortice exutum ricinum animal repræsentat, à, quo planta sic denominatur; quod est in vsu. In hortis Placentinis frequens spectatur. cherua minor, vocatur à Græcis, lathyris: Arabibus, mebenbethene: Latinis, lathyris: Italis, catapu-tia minore: Placentinis vrbanis mulierculis her-ba del topo: rusticanis verò mercorella: Germa-nis, springkraut, springeKoerner; & treibkoer-ner: Hispanis, tartago: Gallis, espurg. est herba, quæ tithimalum æmulatur, caulem emittit cubi-ti altitudine & digitali crassitudine, inanem; in cuius cacumine sunt alæ; in caule sunt folia ob-longa amygdalinis proxima, latiora & læuiora; in summitate verò Aristolochiæ aut oblongæ he-deræ figura; in cacumine fert fructum summis surculis triplici loculemento insignem rotundum ceu capparis; in quo grana intercursantibus mē-branis inter se distincta continentur eruis maiora & rotundiora, quæ corticibus detractis sunt can-dida & gustui dulcia; quæ vnà cum folijs ser-uiunt vsui Medicinæ. In hortis sæpius conspi-citur.

CHRYSOMELA vocantur à Græcis, chrisomila, prækokkia & verichokkia. Ara-bibus, Mermex, Mirmix, Mex, Mesmes, Mismis: Italis, bacoche & grisomele: Placen-tinis, arbicocchi: Germanis, san. Iohans pfer-sich: Hispanis, albricoques, albarchigas, & al-

uaricoques: Gallis, abricot. est planta cum fructu notissima; ossium fructus nuclei vsui medicinæ inseruiunt.

CICHORIVM *vocatur à Græcis, serisagria, Kikorion, & Pikris: Arabibus, tarascun: Italis, cichorea: Germanis, vuegunueiss, & vueguuartz: Hispanis, almerones, & cichoria: Gallis, cichoree. Herba est vulgaris notitiæ, quæ duplex reperitur, vna amara vsualis, altera dulcis à Placentinis nuncupata schiarella.*

CINNABARVS *vide s.cap.de sãguine Dracõis.*

CINNAMOMVM *vocatur à Græcis, Kinnamomon: Arabibus, darseni: Italis, cinnamomo. Si antiquis fides est præstanda hæc cortex odorata non amplius ex oriente ad nos importatur, & ideò in huius locum duplum cassiæ subrogant, quæ hasce habeat notas; sit fulvescens corallij æmula, angusta, lunga, crassa & fistulosa, gustu mordens cum aliquanto feruore adstringens, odore vinoso & aromatica; Hæc apud Christophorum acostam Medicum chirurgum in suis de historia simplicium orientalium monumentis lingua Hispanica exaratis, est verum cinnamomum.*

CITONIA *vocãtur à Græcis, Kydonia mila: Arabibus, saffargel: Italis, pome & mele cotogne: Germanis, quitten vel Kutten: Hispanis, membrilhos & marmellos: Gallis, conting. Planta vnà cum fructibus notissima.*

CITRIA *vocatur à Græcis, Midikamila, & Kedromila: Latinis, citra, citria, citromala, & medica mala: Italis, cedri & citroni: Germanis, citrin oepffel; Iuden oepffel, & citronaten: Hispanis, cidras: Gallis, vngcitron. Fructus sunt cum sua planta noti.*

COLOPHONIA *vocatur à Græcis, Ritini Kolophonia: Latinis, resina colophonia: Italis, ragia greca, di spagna, & pesa greca: Placentinis, pesa grega: quæ in officinis spectatur diuersis ornata coloribus, vtpotè crystallina, Hyacinthina, coloreq; saturato pro resinarum varietate ex quibus conficitur, quippe alia candida est; alia olei, alia mellis colorem obtinet.*

CONSOLIDA *vocatur à Græcis, Symphyton: Arabibus, sucuthun: Latinis, symphitum; Italis, consolida: Germanis, wal vurtz: Hispanis, suelda & consuelda: Gallis, oreylle d'asne. Est herba cuius quatuor genera reperiuntur; datur nanque consolida petrea, Maior, Media, & Minor; de petræa verbum non faciam, tùm quia à paucis cognoscitur, tùm etiam quia non est in vsu. Maioris radix est in vsu, caulem emittit cubitalem aut maiorem, crassum, læuem, angulosum, vt sonchi seu cicerbitæ inanem, circa quem breui interuallo folia exeunt angusta buglosso proxima, oblonga hirsuta, floresque lutei, qui circa summitatem caulis vt verbasci semina emicant; radix subest foris ni-*

gra, intus alba, & viscosa. Media consolida est herba quæ vocatur britannica, herba sancti Laurentij, laurentina, & morandula, cuius folia auersa parte purpurascunt, describitur affabrè à Matthiolo. Minor vero consolida vocatur à Plinio bellis minor, à Placentinis, margaritina.

CORALLIVM vocatur à græcis, korallion & lithodendron: Arabibus, besden seu morgian: Latinis, planta lapidea: Italis atque Hispanis, corallo: Germanis, coraln: Gallis, coral. est herba marina, quæ aqua altior facta statim quã emersit, induratur; corallium præfertur quamramosissimum, & duritiæ terenti non cedens. In officinis asseruatur rubeum, album, crudum & vstum pro vsu medicinæ.

CORALLINA vocatur à græcis, Vrion thalassion: Arabibus, tahaleb; seu thaleb: Latinis, muscus marinus; Italis, corallina: Germanis, meermiesz seu mermoels: Hispanis, malhorquiana yerua: Gallis, coralline. est herba marina, quę in testaceis scopulisque non procul à mari prouenit, gracilis, capillacea, & sine caule: & optima censetur, quę corallijs inhæret, à quibus sic cognominatur.

CORIANDRVM vocatur à græcis, korion, & koriannon: Arabibus, kuzibara: Italis, coriandro & colandro: Germanis, coriander & coleander: Hispanis, culantro & ciliandro. est herba vulgaris notitię ob ipsius insi-
gnem

gnem fętorem, ſpectatur in aliquibus hortis Italię, ſemen in officinis omnibus notiſſimum aſſeruatur pro vſu.

CORRIGIOLA à græcis, vocatur, Polygonon arren: Arabibus, Aaſſa althai: Latinis, polygonum mas, ſanguinaria & virga paſtoris Arabum (in ſcriptis nanq; arabicis ex arabico in latinum tranſactis ſanguinariam ſignificat; in Græcis verò dipſacum Dioſcoridis ſeu labrum veneris, à Placentinis, ſcarzono, à quo hoc vtentes vocantur ſcarzotti.) Italis, poligono maſchio; Placentinis, corregiola: Germanis, vueggrasz: Hiſpanis, corriola: Gallis, corregiole. Eſt herba vulgaris notitiæ, quæ fert ramos teneros, exiles, copioſos, geniculis cinctos, qui per terram, vt gramen, repunt ſemine ſub folijs emicante; flos ei candidus aut puniceus. Naſcitur copioſa in vrbe & in agro Placentino.

CORNVS vocatur à græcis, karnia: Latinis, cornus; Italis, corniolo, & cornalo: Germanis, cornelbaum: Hiſpanis, cornizolos: Gallis: cornier. Eſt arbuſcula altitudine duodecim cubitorum folio amygdalę ſed pinguiore & craſſiore; cortice tenui & neruoſo; caudice non minus craſſo, nodoſo, ſolidoq; cornibus denſitate firmitateq; ſimili; fert baccas oliuæ modo oblongas, quæ primùm virent, deinceps per maturitatem rubeſcunt, quæ non multùm matu-

ræ asseruantur in officinis pro vsu.

CORNV CERVI *vocatur à Græcis, Elaphon keras: Latinis, cornu ceruinum: Italis, corno di ceruo: Germanis, hirtz horn: Hispanis, cuerno di cieruo & punta di cieruo: Gallis, corne de cerf. In officinis habetur crudum & vstum.*

COSTVS *vocatur à Græcis, Kostos Arabibus, Kostos: seu chast. Est arbuscula indica sambuco æmula, cuius lignum, cortex, & radix apud antiquos erat in vsu; sed nostris temporibus non affertur ad nos; in cuius locum subrogari potest Zedoaria vel helenij radix, quæ à Placentinis dicitur enneua, enola, & inola vel Angelicæ radix.*

COZZVMBRI *est styrax calamita. vide. s. cap. de storace.*

CRESCIO *vocatur à Græcis, Sisynurion: Latinis, sisymbrium aquaticum: Italis, crescione: Germanis, brunkressen: Hispanis, berros, & agriois: Gallis, cresson. Planta est vulgaris notitiæ, nascitur in riguis locis, cuius folia primùm rotunda prodeunt, deinceps adulta erucæ modo scinduntur. Pro acetarijs expetitur.*

CROCVS *vocantur à Græcis, Krokos: Arabibus, zahaffaran, vel zafaran: Italis, zafrano, safrano, & sofran: Germanis, safran: Hispanis, azafran: Gallis, saffran. Est herba, quæ fert folia porri sed angustiora, radicem ro-*

tundam

tundam & bulbosam; Huius flos trahitur in vsum; qui defertur optimus ex vienna austriæ & ab aquila vestinorum vrbe; Plinius & solinus crocum cilicium præferunt, deinde lycium, mox centuripinum siculum. Frangrantior & colore magis saturatus est eligendus pro vsu. Huius planta spectatur in aliquibus hortis Placentinis.

CRYSTALLVS vocatur à Græcis, krystallos. Ea in officinis debet asseruari, quæ e terra effoditur duritie, albedine & splendore gemmam repræsentans, & claritate aquam lucidissimam æquans; vocatur à Placentinis, cristallo di montagna; ex Germania; Cypro, & Alabanda Asiæ Insula ad nos affertur.

CVBEBE vocantur ab Indis, cumucos. Sunt fructus plantæ Indicæ orientalis, qui racematim cohærent in corymborum hæderæ morem; gustu sunt acres & subamari, & suaueolentes. Ex Iaoe insula indica potissimùm ad nos afferuntur.

CVCVMIS Satiuus vocatur à Græcis, SyKys imeros. Arabibus, chate seu chetha: Latinis, cucumis, vel cucumer satiuus, Italis, cucumero, e, cedruolo: Germanis, cucumeru; Hispanis, cogombro: Gallis, cocombre. Planta est oleracea cunctis cum fructu notissima; semen tantùm asseruatur in officinis pro vsu.

CVCVMIS SYLVESTRIS vocatur

tur à Græcis, Sykys agrios: Arabibus, chetha alhamar: Latinis, cucumis erraticus, anguinus, & Asininus: Italis cocomero ſaluatico, e, aſinino: Germanis, vuider cucumer: Hiſpanis, cogombrillos amargos: Gallis, cocombre ſauuage. Eſt planta, quæ ſolo penè fructu à ſatiuo cucumere diſtat, quem longè minorem producit oblongis glandibus non diſſimilem; cuius radix eſt magna & candida, quæ vnà cum fructus ſucco, quem officinæ elaterium vocant, trahitur in vſum.

CVCVRBITA Vocatur à Græcis, Kolokintha edodimos: Arabibus, charba: Italis, zucca: Germanis, Kurbſs: Hiſpanis, calabaca: Gallis, vne courge. Planta eſt oleracea, cuius fructus ſemina aſſeruantur pro vſu Medicinæ.

CVMINVM vocatur à græcis, Kyminon imeron: Arabibus, camum, ſeu kemum: Germanis, kimmel: Hiſpanis, comino; Gallis, comin: Latinis, ciminum & cuminum ſatiuum. Herba eſt fruticoſa, cuius ſemen eſt in vſu.

CVPAROSA vide. V. cap. de Vitriolo.

CVPPRESSVS vocatur à Græcis, kypariſſus: Arabibus, ſaro, aut ſaru: Italis, cipreſſo: Germanis, cypreſſen: Hiſpanis, cipres: Gallis, cyprem. Arbor eſt in Italia notiſſima, cuius baccæ et lignũ aſſeruantur pro vſu Medicinæ.

CV-

CVPVLÆ GLANDIVM; *Glans est fructus Quercus vel Ilicis cuius tegumentum primum vocatur cupula quæ asseruatur pro vsu in officinis.*

CVRCVMA *vocatur à Dioscoride,* Kypiros: *à nonnullis crocus indicus; ab indis, vbi prouenit, aled: est radix plantæ indicæ gingiberi similis, cuius odorem etiam fermè redolet; manducata amarescit, & labia Croci modò inficit, hac de causa aliqui hanc vsurpant pro tingendis ferculis; asseruatur in officinis potius pro lanarum & serici infectoribus, quam pro vsu Medicinæ.*

CVSCVTA *vocatur à* grecis, *kassitha: à Latinis, cassutha: est herbula, quæ reliquis adnascitur implicita, earumq; adminiculo viuit, nulla radice nixa, sed vti ab alarum sinu prodeuntibus cirris capillamentisvè longissimis, & vtplurimùm plantas, quas circumuoluit strangulat atque enecat; foliorum expers flores edit albos quamplurimos à quibus semen tenue prodit; cirri rufescunt vitium capreolis crassitudine & facie pares; cassutha, cuius est vsus, carpitur vt plurimùm à lini planta, Idcircò à nonnullis podagra lini nuncupatur, Placentinis, vulughula: Germanis, Filtzkraut.*

CYNOGLOSSVM *vocatur à Græcis,* kinnoglosson: *Latinis, lingua canina: Italis, lengua di cane. Herba est, quæ fert folia plan-*

taginis latifoliæ, arctiora tamen & minora, lanuginosa, sub pinguia, in radiantis solis morem humi sparsa, caule, flore & semine carens; quæ est rara inuentu; officinæ vtuntur altero cynoglosso, quod plurimos emittit caules cubito longiores, in quorum cacumine adnascitur flos purpureus echio similis, à quo postea prodeunt paruæ lappæ, quæ contactu vestibus pertinaciter hærent.

CYPERVS vocatur à Græcis, Kypiros: Arabibus, saherade: Germanis, vuider galagan: Hispanis, iuncia deolor: Gallis, souchet. Est planta notissima, quæ in lacunosis, palustribus, & stagnantibus locis in agro Placentino frequentissima prouenit; cuius radices sunt longæ, nigræ, & odoratæ, præferuntur pro vsu medicinæ illæ, quæ Venetijs ad nos importantur, quæ sunt Oleis oblongis similes, graues, densæ, fractu contumaces, & odoris cum quadam acrimonia iucundi atq; suauis.

D


AMASONIVM vocatur à græcis, Damasonion: seu Alisma: Arabibus, zumara alrahai, hoc est fistula pastoris: barbaris, plantago aquatica, & barba syluana: Latinis, damasonium, & Alisma. Est herba, quæ fert folia Plantaginis, sed angustiora in terram conuexa; caulem simplicem & tenuem cu-

bito altiorem; capitibus thyrſi, & flore tenui candido palleſcente: radicibus nititur tenuibus vt ellebori nigri, acribus & odoratis; quorum eſt vſus. Naſcitur frequens in apenino monte propè Bobium.

DACTILVS vocatur à græcis, Dactylos: Arabibus, tamar; Italis, dattilo ouer dattolo: Germanis, dattilen: Hiſpanis, tameras & datiles; Gallis, dattel: eſt fructus Palmæ arboris Ægyptiacæ ſimilis Myrobalano arabico; notiſſimus eſt vnà cum planta.

DAVCVS vocatur à cræcis, Daukos: Arabibus, ducu: Italis, dauco: Germanis, beruurtz: Hiſpanis, dauco cretico: Gallis, carote ſauuages: Herba eſt fruticoſa, quæ fert folia fæniculo ſimilia, minora tamen & tenuiora; caulem dodrantalem, & coriandri vmbellam cum flore albo; cuius ſemen eſt in vſu, quod ſpectatur candidum, hirſutum, & guſtu acre, & odoratum perſentitur; Venetijs ex creta inſula ad nos affertur.

DICTAMVM vocatur à græcis, Diktamnos: Arabibus, meſcatrameſihe: Latinis, dictamnum: Italis, dittamo, & dittamo real: officinis, dictamum creterſe: Germanis, vuildenpoley: Hiſpanis, dittamo real. Eſt herba in officinis notiſſima pullegio conſimilis, folijs attamen maioribus, rotundioribus, & craſſioribus, quæ ſpiſſa lanugine, tomentovè pubeſcunt;

eſt

est planta læuis, acris, & odorata; cuius tantùm folia sunt in vsu. Asseruantur etiam radices in officinis cuiusdam plantæ, quæ à recentioribus vocatur dictamnum album, quæ fert folia fraxini folijs proxima & flores impensè redolentes in purpura albicantes citreæ arbusculæ modo; Frassinella vulgo dicitur.

DORONICVS, *est Akoniton pardalianches Dioscoridis, cuius radix hactenus fuit in vsu, quæ scorpij formam repræsentat; tamquam præsentaneum venenum est proijcienda; & in huius locum subroganda est, zedoaria, vincetoxici radix vel radix Antoræ Matthioli.*

E



BENVS *Vocatur à græcis, Euenos: Arabibus, Abanus, & Abenus: Italis, ebano. Arbor est æthiopica, cuius lignum est in vsu; præfertur nigrum, factitij cornus læuore, densum, solidum, gustu mordicans & adstringens, quod positum super carbones acutum & suauem odorem emittit.*

EBVR *vocatur à græcis, elephas: Latinis, ebur: Italis, auorio & auolio: germanis, belffantbeyn: Hispanis, diente d'elefante aut marfil: gallis, lyuoire. Est Dens elephantis iuxta ferè omnium sententiam, præter vnum pausaniam, qui lib. 5. suæ historiæ censet esse cornua non dentes quæ ex superiori elephantis man-*

dibula extra prodeant; probatq; hisce rationibus, quòd adulto elephanto cadant & renascantur; quòd igne domentur, & quamuis figuram accipiant; quòdq; elephas ex superioriq; mandibula non inferiori vt aper & equus fluuialis cornua, à temporibus orta per os extorsum resupinata extrudat. In officinis legitimum habetur ebur.

ELATERIVM vocatur à Græcis, elatirion: Latinis, elaterium: Italis, elaterio. est succus fructus cucumeris asinini siue Syluestris arte extractus. Probatur elaterium læue, non ponderosum, cum candore, leniter humectum, gustu amarissimum, & quod lucernarum luminibus obiectum facilè flagret.

ELLEBORVS. duplex in officinis spectatur, albus & niger. Albus vocatur à Græcis, elleuoros leukos: Arabibus, cherbachem, seu charbech abaid: Latinis, elleborus albus, & veratrum album: Italis, elleboro biancho: Germanis, dueis nitsz vurtz: Hispanis, verdegambre blanque & yerua de balestre: Gallis, viraire, verarum, veratre, & ellebore blanc. est herba fruticosa quæ fert folia plantaginis, sed breuiora, latiora, nigriora, & rubescentia; caulem cauum, quadrantalem, tunicis conuolutum; radices subsunt multæ, tenues, ab oblongo & exiguo capite cæparum modo exeuntes; quæ sunt in vsu. Elleborus niger, vocatur à Græcis,

elleuoros melas: Arabibus, charbench asued: Germanis, Christuurtz: Hispanis, ver de gambre negro & elleboro: gallis, viraire, & ellebore noir. hæc planta folia habet viridia plantani similia minora, nigriora, subaspera, pluribus diuisuris incisa; caulem asperum; flores in purpura albicantes racematim cohærentes, semen carthami; radicibus nititur nigris, tenuibus, à capitulo cępæ simili confibratis, quarum est vsus.

ENVLA *cãpana, vocatur à Græcis, ellenion: Arabibus, Iasim, siue Rasen, latinis, Heleniũ & Inula: Italis, lella, enoa, & enola: Placentinis, ennoua: Germanis, Alant: Hispanis, Raiz de alla; Gallis, auulnee. est herba fruticosa olitoribus notissima; fert folia verbasci, sed angustiora, oblongiora, & asperiora; radix sub est subalbida, interdum rubrufa, vegeta, magna, subacris, & odorata; cuius est vsus; Syluestris præcellit.*

Epatica vocatur à Græcis, lichin: Arabibus, Azez alsacher: latinis, lichen: Italis, fegadella & herba del fegado: Germanis, steinlaber kraut; & *brunenleber* kraut: *Hispanis, hepatica & figadella: Gallis, hepatiqne, & porcorau. Herbula est saxis familiaris, humidis, opacis, & aspergiinosis petris adhærens vt Muscus; est facilis inuentu pro vsu.*

Epithymum vocatur à Græcis, Epithymon: arabibus, efitimo, seu efichemo: Italis, epitimo: Hispanis, cabellos, seu flores del thomilho; Gallis,

lis, teigne de Thyn: est herbula capillaris, quæ amplectitur & circumuestit caules & folia thimi; vt diximus de cuscuta. In officinis asseruatur.

Eryngium vocatur à Græcis, Iryngion: latinis, Eryngium: Italis, Eringio: Placentinis rusticanis, Righigna l'asino: Germanis, brarchendistel & Manstreuu: Hispanis, cardo corredor: Gallis, Panicault. est herba, quæ fert folia lata, estremo ambitu aspero, gustu aromatica, quæ aucta in spinas aculeantur; & in caulium summitatibus capitula globosa nascuntur, quæ durarum acutissimarũq; spinarum ambitu stellatim circumuallantur, quorũ color aliquando est viridis, alias albus, interdum cæruleus: radix subest oblonga, lata, foris nigra, intus candida, pollicis crassitudine, odorata: cuius est vsus in officinis.

ERVCA *vocatur à Græcis, Euzomon: Arabibus, Iergir, ergit, seu giargit: Italis, ruchetta & rucula: Placentinis, ricola: Germanis, vucisz senff: Hispanis, oruga, & aruga: Gallis, roquette. est herba vulgaris notitiæ; quæ acetarijs frequentissimè inseritur.*

ESVLA *hoc nomine appellantur in officinis plantæ duplices, quarum vna maior, altera minor Esula dicitur. Maior vocatur à Græcis, Pityusa: arabibus, scebram & Pthias: latinis, Pityusa: Italis, esula maggiore. Herbæ huius caulis supra cubiti altitudinem assurgit, geniculatus, folijs Piceæ, acutis, exilibus; flore paruo velut purpureo semi-*

ne instar lenticulæ lato; radix subest rotunda crassa, candida, succo referta, cuius est vsus in officinis; nascitur frequens in agro Placentino in montibus di migna & negro vulgò nuncupatis propè pagum, qui dicitur le ferrere. Minor esula continet sub se omnes tithymalorum speties, quæ cum sint lacteo succo refertis vocantur à Placentinis herbe del latte; quarum folijs rustici vtuntur pro exoneranda aluo tithymalus vocatur à Græcis, tithimalos: Arabibus xauser & ethua: Italis, titimalo Germanis, vuolhsmilch: Hispanis, lechtresna & lechetregua: Gallis, herba à laich.

Eupatorium vide. A. cap. de Agrimonio.

Euphorbium vocatur à Græcis, euphoruion: Arabibus, euforbion, seu furbium: Italis, Euphorbio: Hispanis, alforuiam, vel aforsion & euphoruio: Gallis, euphorbe. est arbor lybica, quæ succo acerrimo turget, cuius succi duo sunt genera, vnum sarcocollæ modo emicat; alterum in ventriculis concrescit & vitreum spectatur. Probatur euphorbium translucens & acre.

Euphragia est herba pusilla à recẽtioribus descripta, quæ ad palmi altitudinem assurgit, folijs minutis, crispis, perambitum incisis seu serratis, gustu adstringentibus paululumq; amaris; caule tenui & rubescente floribus inter purpurum & aurum albicantibus ab Italis vocatur herba per gli occhi; prouenit frequens in agro Placentino, in collium & montium pratis.

F



Aba vocatur à Græcis, kyamos Arabibus, Hachille, habelle, seu bachale: Italis, faua: Germanis, Bonen: Gallis, fabue. Planta est notissima vna cum fructu, cuius farina seruatur pro vsu.

Farfara *vocatur à græcis, vicchion: latinis tussilago: officinis farfara, vngula caballina & equina: Italis, farfara, farfarella, & vnghia de cauallo: Placentinis, farfanella: Germanis, rosshuob, & brantlattich: Hispanis, vn ha d'asino: Gallis, pas de asne. Est herba, quæ fert folia hederę sed maiuscula, sex aut septem à radice subulbida à terra, supernè virentia, caulem non excedentem palmum, florem luteum vere primo ante folia prodeuntem, quo vnà cum caule confestim exuitur, folijs tantùm deinceps remanentibus, quorum vna cum radice est vsus.*

Fel *vocatur à græcis, choli: Arabibus, sara-tec, aut Merara: Italis fiele: Germanis, goll: Hispanis, hiel: Gallis, fiel. Bouis, tauri, capræ, & aquilæ fel asseruari pro vsu in officinis est vtile*

Filix *vocatur à Græcis, pteris & pterion Arabibus, sarax, vel sarachs: latinis, Filix: Italis, felce: Placentinis, filise: Germanis: vualdt-farn: Hispanis, helecho yerua: Gallis, osmunda regal. herba est fruticosa cunctis notissima; cuius*

radices nigræ, oblongæ, & parùm odoratæ vsui medicinæ inseruiunt.

FISTICI *fructus sunt, qui à Græcis, vocantur pistakia Arabibus, pustech, seu festuch: latinis, pistacia & pistacea: Italis, pistacchi, Germanis, vuelsch bimpernuszlin: Hispanis, Alhocigo: gallis, Pistachis. Arbor, quæ hos profert folia lentisci maiora habet colore ex viridi in luteum inclinante, ac eodem ordine extremis ramusculis emergentibus, e quibus racema im suis quæq; pediculis pendent pistacia; quæ matura & recentia sunt eligenda.*

FOLIVM *vide. M. cap. de Malabatro.*

FAENICVLVM *vocatur à Græcis, marathron: Arabibus, raienigi: Italis, finocchio: Placentinis, herba buona: Germanis: fenchel: Hispanis, Hinoio & funcho: Gallis, fenoil. est planta hortensis notissima cuius succo, semine & corticibus radicum vtuntur Medici.*

FOENVM *græcum vocatur à Græcis, tilis & vukeros: Arabibus, olua, helbe, seu hebbe: Italis, fien greco: Germanis, fenigrec, & bockshorn: Hispanis, alfornas, & alholuas: Gallis, fenigrec & senegreue. Herba est trifolio similis corniculis semen inclusum gerens, quod una cùm ipsius farina seruatur pro vsu.*

FRAXINELLA *vocatur à Græcis, polygonaton: latinis, polygonatum: Italis, frassinella, & gionocchietto: Germanis, vucisz vurtz:*

Hispa-

Hispanis, frassinella: gallis, geniiculiere. est herba, quæ in hortis Placentinis frequens spectatur, cuius radix alba, mollis, longa, geniculata, densa, digitiq; crassitudine, non tantùm trahitur ad medicinæ vsum; sed etiam à multis fit conditum cum melle pro obsonio.

FRAXINVS *vocatur à Græcis, melia: Italis, frassino: Germanis, eschern, eschebaum, & steyneschern: Hispanis, fresno, & frexo: gallis, fraisne. est arbor notissima cuius cortex media & semen, lingua auis nuncupatum, vnà cum liquore à ligno emanante asseruantur pro vsu.*

FVMVS *terræ vocatur à græcis:* kapnos: *Arabibus, scebiterig seu sabeteregi, latinis, capnos & fumaria: Italis, fumaria et fumoterra, & fumusterræ: Germanis, Erdtrauch: Hispanis, palhomilha: gallis, fumeterre. est herba vulgaris notitiæ, fruticosa tenera coriandro similis, folijs candidioribus vndiq; numerosis, cineracei coloris, floreq; purpureo. folia, flores, et semina sunt ex usu.*

G

GALLA *vocatur à Græcis,* Kikis: *Arabibus, hafsf, & hafus: latinis, galla: Italis, galla & galletta: Germanis, galepffel, & eycho epffel: Hispanis, galha et bugalha: gallis, Noix de galle. fructus est arborum glandifera-*

rum, cuius duo ſpectantur genera, maior quippè & minor; hæc rugoſa cute, ſolida & nullo foramine peruia conſpicitur; Maior verò eſt rotunda, læuior, & perforata. Minor præfertur pro vſu medicinæ.

GALANGA eſt radix quæ transfertur ad nos ex ſyria, Aegipto & China orientali, & eſt duplex, maior inquam, & minor, hæc eſt tenuis, interius & exterius in purpura ruſeſcens, geniculata, internodijs quibuſdam reflexa, odorata, ſapore admodùm acri, adeò vt manſa piperis & gingiberis modo linguam & fauces eſurat, odore formaq; cypero ſimilis; qua de re quibuſdam Cyperus Babilonicus dicitur. Maior verò tametſi craſſior ſit, viribus tamen eſt infirmior, minus colorata minusq; odorata; qua de re minor antecellit pro vſu.

GALBANVM vocatur à græcis, chaluani: Arabibus, chene & bezard: Italis & Hiſpanis, galbano. eſt ſucus plantæ ferulaceæ ex ſyria. Probatur galbanum cartilaginoſum, merum, thuris effigiem præbens; pingue, non lignoſum, retinens nonnihil adiecti ſeminis & ferutæ plantæ, graui odore, neque valde humidum, neque nimis aridum.

CARIOFILVM vocatur à græcis, karyophylon: Arabibus, charunful: latinis, caryophyllum: Italis, garioffilo: Hiſpanis, cauo de ſpecie. eſt fructus arboris indicæ ex moluchis inſulis orien-

orientalibus potiſſimum translatus, paruus ex atro rufeſcens, in claui modum capitatus; præſertim caryophyllum paruum & recens.

GARIOFFILVS vocatur ab aliquibus herba tunica, tuniſi, & Betonica coronaria; Placentinis & Italis, gariofilo. eſt planta notiſſima; quæ duplex ſpectatur ſatiua & Syluestris; ſatiuæ flores rubei, & radices expetuntur pro vſu.

GATTARIA herba, eſt vulgaris notitiæ, vocatur à latinis, nepcta; Italis, herba gatta & neueda.

GENISTA vocatur à latinis, geniſta: Barbaris, geneſta & geneſtra; Germanis, ginſt ſeu geniſt: Hiſpanis, geneſtra, gieſta, & gieſteira: Italis, gineſtra, Placentinis, zineſtra. eſt planta fruticoſa collibus & montibus familiaris conſtans ramis herbaceis, ſcabris, iunceis, folijs minutis ſcatentibus, flore luteo, ſemine lenticulæ, quod ſi liquiſinaſcitur, & radice ſublutea; antiqui de hac planta verba non fecerunt; flores & ſemina ſeruantur in officinis pro vſu.

GENTIANA vocatur à græcis, gentiani, Arabibus, genthiana; genthiana baſilica ſeu baſateca: Italis, gentiana: germanis, entzian, biettcriuurtz, & creutz vurtz: Hiſpanis, gentiana: gallis, gentiane. eſt herba, quæ partim proximè radicem habet ſolia nuci plantaginivè ſimilia ſubrubra, partim à medio caule & præſertim iuxta cacumen parum diſſecta; caulis eſt cauus, læuis

geni,

geniculatus, digiti crassitudine, & ex interuallis maioribus foliatus, binum cubitorum altitudine; radici nititur simili aristolochiæ longæ, est nanque crassa, longa, & amara; aliquando effoditur brachiali crassitudine; quæ est in vsu. Nascitur hæc planta in agro Placentino præsertim in monte migna appellato propè pagum complani & ferrariarum.

GLAVCIVM *vocatur à græcis, glaukion: Arabibus, memithe: latinis, glaucium. est succus herbæ syriacæ; probatur glaucium si forinsecus rufescat, intus verò croci colorem imitetur, & gustu amarum cum quadam graucolentia sentiatur.*

GINGIBER *vide. Z. cap. de Zinzibere.*

GYPSVM *vocatur à græcis, gypsos: Arabibus, gepsim, seu gepsin: Italis, gessò: Germanis, gyps: Hispanis, yeso & alges. est res factitia; fit nanque e, quodam lapide candido, qui in calenti furno coniectus quatuor vel quinq; horarum spatio ad summum peruritur, deinde tunditur in puluerem, & incerniculis excutitur, quod gypsum coctum vocatur; conficitur etiam gypsum ex lapide speculari, qui à græcis vocatur selinitis: crudum magis quàm coctum vsui medicinæ inseruit; fit etiam ex alio lapide niuei candoris, ex quo betrusci torno patinas & alia vasa conficiunt; quem appellant, sed cum errore, alabastrũ; gypsum dulce apud scriptores est lapis scissilis.*

GRAMEN *vocatur à græcis, agrostis:*

Ara-

Arabibus, vagem, negen, negien, thel, kel, & negil: Italis, gramigna: Germanis, grasz: Hispanis, grama, & gramētha: gallis, dent de chien. est herba cunctis nōincognita cuius radices sunt in vsu.

GRANATVM *est malum punicum de cuius nomenclationibus dictum est cap. de Balausthio. Asseruatur incorruptum pro vsu, si tempore maturitatis, petiolus, à quo pendet, intorqueatur in arbore, & antequam decerpatur permanserit sic aliquibus diebus. Vel decerptum statim argilla ex aqua soluta vndiq; oblinatur, deinceps pluribus diebus radijs solaribus supponatur. vel in feruentem aquam prius immersum & statim extractum sole exiccandum octo dierum spatio exponatur.*

GRANATVS *lapis, est gemma rubens in modum pomi seu mali granati acinorum; præfertur ille, qui colore rubeo ad violaceum tendente præditus est.*

GVMMI *quatuor genera in officinis conspiciuntur, gummi, inquam, tragacanthæ; Arabicum, Elemi, & hederæ.*

TRAGACANTHÆ *gummi vnà cum planta eiusdem vocatur à græcis, tragakantha: Arabibus,* Alchathat*: Italis, dragagante: Germanis, draganti Hispanis, alquetira: gummi hoc probatur si album, perlucens, gracile, læue, syncerum, & subdulce extiterit.*

ARABICVM *sic nuncupatur quia ex arabia:*

arabiā ad nos importetur; in officinis duplex ſpectatur, ſyncerum, & adulterinum, ſyncerum eſt id quod vnico colore conſpicitur cum ſplendida tranſparentia, guſtu ſubdulce & inodorum, quod aqua diſſolutum nihil viſcidi fæculentiuè cæterorum gummi in morē in vaſis imo dimittit. Adulterinum verò eſt miſcellaneum quoddam ex pluribus gummi ſpetiebus impurum & varijs coloribus præditum.

ELEMI gummi rectius reſina eſt nuncupanda; igni nanq; expoſita ſtatim colliqueſcit & diffunditur; gummi namq; non colliqueſcit niſi addatur aqua, vinum vel acetum, à qua planta decidat, adhuc ignoratur, in huius locum gummi ceraſorum ſubrogatur.

HEDRÆ gummi vna cum planta à qua emanat eſt notiſſimum; à Placentinis hedera dicitur rampigarola.

H

HARMEL vocatur à græcis, piganon agrion: Arabibus, harmel: latinis, ruta Sylueſtris: Italis, ruta ſaluatica, eſt herba fruticoſa, quæ ab vna radice multos emittit cauliculos, folijs rutæ hortenſis ſed longioribus. odore graui; ſemen profert triangulare, ſubruſum, guſtu amarum, quod capitulis in cacumine plantæ con-

continetur, cuius est vsus apud Medicos. In agro Placentino frequens spectatur in torrentiũ alucis, nec non & supra vrbis mœnibus.

HÆMATITES lapis, vocatur à græcis, lithos æmatitis: Arabibus, scedenigi, seu alsadenegi; Italis, pietra amatite: Germanis, bluot stein: e terræ visceribus effoditur; est notissimus his, qui arma inaurant; probatur durus lapidis instar, siq; fractus sanguinis colorem imitetur; variat tamen huius color aliquando nanq; niger, flauus, vel ferrugineus spectatur. Caueant aromatarij ne pro hoc vtantur lapide vulgari, qui à Placentinis, lapis, nuncupatur, non enim est lapis, sed est potius rubricæ terræ speties.

HEPAR in officinis lupi & capræ hepar præparatum asseruandum est pro vsu.

HEMPHISTI DE est hypocistis. Vide H. cap. de hypocistide.

HERBA crassula. est herba quæ à Placentinis vocatur faua grassa; ab aliquibus, fabaria, faba inuersa, & telephium.

HERBA muscata est geranij Dioscoridis speties ab odore sic dicta.

HERBA paralysis est à recentioribus tantum descripta & pluribus donata nomenclationibus; vocatur nanq; primula veris; braccha cuculi: clauis S. Petri: & auricula vrsi. Folia gerit lactucæ similia, & vere omnium prima floribus emicat aureis. Tota planta confert vsui.

HERBA

HERBA alleluya est herba à Plinio descripta sub nomine Oxis, vocatur à nonnullis panis cuculi, & trifolium acetosum; constat folijs subpallidis, tenuibus, cordis effigie & gustu acidis.

HERBA venti significat modo parietariam, modo consolidam minorem; herba venti maior parietariam, minor verò consolidam minorem ostendit. herba venti sine additione anemōnes Syluestris plantam à Dioscoride descriptam designat.

HERMODACTYLVS vocatur à græcis, hermodaktylos: latinis, hermodactylus: seu digitus hermetis seu mercurij digitus: Italis, hermodattilo: Arabibus, surugen, vel surengiam. Hactenus pro radice hermodactyli vsurpatur radix plantæ, quæ vocatur à Dioscoride, Kolchikon: Arabibus, surugen: latinis, colchicum; & Bulbus agrestis; Italis, zaffran saluatico: Placentinis, fiore d'inuerno: Germanis, zeitlosz: & vuild saffran bluom: gallis, mortauchin; chien, & chiennee. Huius radix proijcienda est cum sit venenosa & deleteria. Hermodactyli legitimi radix supponatur, quæ affertur ad nos ex Constantinopoli; planta, quæ huic initur radici, constat vnico caule, in cuius summitate emicat capitulus figura piri semen continens; folia sunt Porri similia sed angustiora, & quæ propè terram iacent sunt cæteris breuiora; radices ab eadem origine quaternæ exeunt forma & figura digitorum colore pallido rubescente vngues albas in summitate

tate

tate habentes, à quorum figura planta hermodactyli nomen eſt adepta, in huius defectu agaricum vel Turbith ſubſtituatur.

HYACINTHVS *lapis, vocatur à grecis, yakinthos lithos: ab Italis, iacintho, giacintho, & iacinthoro; eſt gemma ſplendida & tranſparens, coloris citrini, ſeu granatini, ſeu veneti.*

HYPERICON *vocatur à græcis, yperikon: Arabibus, heinſarichum: latinis, hypericum: Italis, perforata: Placentinis, herba di Santo Giouanni: à nonnullis, fuga demonum, et vua demonis, germanis S. Iohans kraut: Hiſpanis, coraioncillo: gallis, mille pertuis, & trucheram. eſt herba vulgaris notitiæ frutice ſurculaceo, dodrantali, rubeſcente, folio rutæ minutim perforato, flore luteo qui digitis attritus ſanguineum ſuccum dimittit; ſiliqua ſubhirſuta in rotundo oblonga hordei magnitudine ſemine intus nigro pingui ſeu reſinoſo,*

HYPOCISTIS *vocatur à græcis, ypokiſtis: Arabibus, taratith: Italis, hipociſto: Hiſpanis, pultegras eſt vti germen, quod e radicibus ciſti plantæ pullulat, effigie quaſi cytinos malorum granatorum repreſentans; in monte Apenino prouenit. in huius locum ſubrogatur ſuccus ledi foliorum, ſeu florum ſuccus granatorum agreſtium, vel foliorum lentiſci.*

HYVSQVIAMVS *vocatur à græcis, yoskyamos: Arabibus, bengi, latinis, hyoſcyamus, apollinaris herba, altercum, & dens equinus;*

nus : Italis, iusquiamo e disturbio : Placentinis, herba del dente : Gallis, iusquiame & hanebane. Herba est fruticosa caules emittens crassos; fosojia oblonga, lata, diuersa, nigro, hirsuta; flores e latere caulis ordine prodeunt tanquam malorum granatnrum cytini scutulis septi seminum plenis, vt papaueris. Huius Plantæ reperiuntur tria gennra, quarum vnum fert semina nigra, alterum rufa, tertium Candida; nigra, & rufa sunt ab vsu reijcienda; candida tantum sunt pro vsu.

HYSSOPVM *vocatur à græcis yssopos : Arabibus, Cife, iufa, & seu iabes : Itaiis, Hissopo : Germanis, Firch yssop : & hoster yssop : Hispanis, Hissopo yerua, & Hissopilho hierua : gallis, hissope. est herba, quæ pedali altitudine assurgit, fruticosa, folio thymbræ, seu satureæ à Placentinis segrezola nuncupatæ, floribus in cæruleo purpurascentibus, in caulium cacuminibus, spicatis, radice longa & lignosa superuacua. Spectatur in agro Placentino in torrentium alueis, & locis saxosis, & asperis floribus onustum in fine mensis Augusti, vel Septembris initio.*

HORDEVM *vocatur à Græcis, krithi : Arabibus, Xaber aut sahir : Italis, orzo : Germanis, gersten : Hispanis, ceuada : gallis, orge. Hordeum est Planta notissima, cuius granum trahitur ad vsus medicinæ, quod duplex conspicitur, vnum cuius gluma facillimè decidit, nudum officinis appellatum, alterum verò quod cum diffi-*

cultate

cultate illam dimittit; vtrumq; asseruari conuenit pro vsu. Præcellit magnum, densum, graue, non recens nec vetustum. Quas notas habet illud, quod ex Apulia vel ab orientali plaga ex Alexandria Ægypti defertur.

I



ASEMIN Iesemin, zambach, siue sambac, plantam illam designat, quæ à latinis, gelseminum: et iasminum: Italis, gelsemino dicitur; cuius duo dantur genera vnum Italicum, alterum Hispanicum; huius flores præferuntur pro vsu Medicinæ.

IASPIS LAPIS, vocatur à Græcis, lithos iaspis: Italis, diaspro: Placentinis, iaspide. Huius plura spectãtur genera iuxta varietatem colorum. Præfertur viridis & splendescens cum lineis intercursantibus rubeis.

ICTIOCOLLA vocatur à Græcis, Ichthiokolla: Arabibus, zire, seu gara: Latinis, gluten piscium: Italis & Hispanis, colla di pesce: Germanis, leim: Gallis, colla. Probatur candicans, subaspera, & facile liquescens.

ILEX vocatur à Græcis, Prinos: Arabibus, barbes seu carmas: Italis, elice: Placentinis, giandara: Hispanis, anzina; & anzinheira: est arbor notissima, quæ fert folia quer-

cus sed longiora & minus in ambitu incisa.

IREOS *vocatur à Græcis, Iris: Arabibus, aiersa: Latinis, iris: Italis, giglio azuro, celeste, biancho, & gialdo: Placentinis, giazzolo: Germanis, blauu gilgen: Hispanis, lirio cardeno: Gallis, glaieul, aut Flambe: Planta est notissima, & præsertim radix cuius est vsus. Probatur densa, frangenti contumax, colore subrufo, odore per quam grato; gustu amaro, & quando teritur & tunditur sternutamenta mouet. Prouenit in agro Placentino in monte propè viani arcem; sed antecellit orientalis.*

ISOPVS HVMIDA *vocatur à Græcis, Isypos: Arabibus, iusarathab: Latinis, oesypus: Italis, lana succida: Hispanis, Isopilho humido: Gallis, gres della laine sorge. Probatur illa, quæ à collo & fæminibus decerpitur.*

IVA *duplex in officinis asseruatur vna quæ dicitur iua arthetica; altera iua muscata; iua arthetica sic à Barbaris vocata, est græcorum chamepitys: Arabibus, chamasithius: Latinis, camæpitys, picea humilis, aiuga, & abiga: Italis, iua: Placentinis, herba dalla giazza: Germanis, yelenger yelieber: Hispanis, pinilho, & iua artetica: Gallis, iue muschate, o, Arthetique: est herbula subcurua folijs semperuiui minoris, multò tenuioribus, hirsutis, pinguibus, circa caules frequentibus, odore Pinus; flore*

tenui,

tenui, luteo aut candido; radicibus cichorij. Iua muſcata eſt Græcorum. polion: Arabibus, cabade, iabade, & giade; Latinis, polium: Italis, polio. Eſt herba fruticoſa tenuis, candida, dodrantalis, ſemine referta; capitulo in cacumine corymborum ſpeciem præſeferente, paruo cano, hominis capillo ſimili, grauiter olente non ſine quadam ſuauitate; Hæc frequentiſſima naſcitur in agro Placentino in torrentium alueis; aiuga vero in campeſtribus incultis.

IVDAICVS LAPIS vocatur à Græcis, lithos iudaicos: Arabibus, Aager alyeudi, ſeu Hagiar aliheud: Italis, pietra iudaica: Germanis, indenſtein. Legitimus in officinis reperitur, qui eſt candidus & lineis ceu torno ductis ornatus.

IVIVBÆ vocantur à Græcis, zizypha: ad Galeno, ſirika: Arabibus, hunen, zufalzef, ſeu hanab: Latinis, zizipha: Italis, giuggiole: Placentinis, zenzeuerini: Germanis, rotburſtbeerle: Hiſpanis, azufecifa: Gallis, iuiubes. Fructus ſunt cum arbore à qua proueniunt notiſſimi; qui in officinis optimi aſſeruantur pro vſu.

IVSQVIAMVS eſt Hyoſcyamus. vide. H. cap. de Hyoſcyamo.

K

*K*ALI *est herba mauritanorum; vocatur à Latinis; herba vitri: Italis, soda: quando, e, terra primùm emergit est folio tereti forma minori semperuiuo simili; aucta verò caule geniculato & erecto, indigitalem quasi longitudinem mox attollitur; adulta, e, geniculis folia emittit pinguia, crassa, in medio caua, & ex lata origine mucronata; quando senescit folijs constat minoribus, & exilioribus colore rufo, à quibus oriuntur pillulæ rotundæ & paruæ, quibus exile semen includitur; gustu est tota salsa; Prouenit circa Maris littora.*

KARABE *vocatur à Græcis, Ilektron & chrysophron: Latinis, electrum & succinum: Italis, succino, & Ambra gialda & negra: Germanis, augstein aut boerustein: Hispanis, esclari mente aut ambar: Gallis, Ambra. Sentiunt multi hoc gummi decidere ex arboribus pinei generis; nonnulli verò vti sunt pruteni, apud quos copiosum colligitur propè insulam lingua materna sudauu appellatam, Bituminis genus ex saxis marinis profluens liquidum primò, sed mox aquæ maris frigiditate condensatum & concretum, quod postea ab accolis corraditur à saxis & purum deligitur. In officinis legitimum*

ha-

habetur & est notissimum mulieribus potissimũ rusticanis, quæ ex hoc monilia, & pro numerandis precibus coronas sibi comparant; triplex reperitur album, citrinum, & nigrum: citrinum, croceum seu glaucum est in vsu; album tamen à Petro oliuerio Valentino viro eruditissimo tanquam præstantius, ante ponitur. Electrum verò apud pausaniam nihil aliud est quam Argento permistum in Metallis aurum, ex quo Augusto Cæsari olim fuit erecta statua.

KEIRI vocatur à Græcis, leukoion. (Quo nomine comprehenditur non tantum viola alba sed etiam purpurea, & lutea.) Arabibus, Keiri, cheiri, & alcheiri: Latinis, viola lutea: Italis, viola gialda: Hispanis, violetas amarilhas. Hæc herba in Ædium fenestris æstate frequens & vere conspicitur in vasis ligneis vel fictilibus floribus albis, purpureis, & luteis ornata, qui coloris varietate & odoris suauitate oculis & naribus sunt gratissimi; luteorum est vsus. possunt tamen albi & purpurei ad vsus medicinæ trahi pro floribus cordi amicis.

L



ABRVSCA, vocatur à Græcis, ampelos agria: Italis, lambrusca: Germanis, vuild vueinreb Gallis, roisin. Planta est viticosa Syluestris, quæ vinearum sepes

circumuestit & amplectitur. cuius vua est in vsu in officinis.

L ACCA *vocatur ab Arabibus, sach, lach, loc, & luc: Italis, lacca & lachetta: Indis, apud quos nascitur, troce. Est succus concretus formicarum in mellis morem ope super Arboris indicæ ramis, truncis & surculis; qui hac circumuectiti ex pegu indica regione ad nos afferuntur; lacca præfertur rufa, pellucens, inodora, Myrrhæq; fermè similis; hac vtuntur Medici & dimittunt factitiam pictoribus.*

L ACTVCA *vocatur à Græcis, thridax: Arabibus, cherbas, seu chas: Italis, lattuca: Germanis, lactuch: Hispanis, lechuga aut alfalfa: Gallis, laictue est olus cunctis notissimum, cuius semen asseruatur in officinis pro vsu.*

L ADANVM *vocatur à Græcis, ladanon: Arabibus, ieden, seu laden: Italis, laudano & lodano. Est succus pinguis seu resinosus à folijs plantæ ledi contractus, quem capræ & hirci pascendo Barba seu villo, & cruribus hirsutis adhærescentem reportant; vel à folijs attractis funibus abstergitur, & in Massam conglomeratur. Probatur illud ladanum, quod est subuiride, syncerum, odoratum, pingue, & facilè emollescens, Planta hoc emittens prouenit frequens in agro Placentino propè corniani & telleræ pagum iu asperis & incultis.*

LAP-

LAPPA maior & minor. vide. B. cap. de Bardana.

LAVENDVLA. vocatur Nardus italica: à Placentinis, lauanda. Est herba fruticosa hortensis cunctis cognita.

LAZVLI LAPIS, vocatur à Græcis, lithos Kyanos: Arabibus, hager alezaoard; laziuard, seu azul: Latinis, lapis stellatus & cæsruleus: Italis, pietra lazuli, & pietra azura: Germanis, lasaurstein: Hispanis, azul. Probatur pro vsu ille, qui est colore cæruleo inebriatus, scintillisq; aureis emicat, e, Metallorum sodinis extrahitur.

LENS à Græcis vocatur phacos: Arabibus, hades: Italis, lente: Placentinis, lenticchia: Germanis, linsen: Hispanis, lenteyas: Gallis, lentie. Est planta vulgaris notitiæ cuius eminis farina custoditur in officinis pro vsu.

LENTISCVS vocatur à Græcis, schinos: Arabibus, daru: Italis, lentisco; Hispanis, arueira: Gallis, lentisque. Planta est arborea mediæ proceritatis; folijs pistacij graueolentibus, pinguibus, in obscurum virentibus, in ambitu rubescentibus; viret fronde perpetua; cortice subrufo, lento, tenaci, flexibiliq;, profert racemosos fructus terebinthi modo; necnon & folliculos corniculi modo intortos, in quibus includitur liquor limpidus, qui veterascens vertitur in bestiolas ijs similes, quæ ex vlmi folli-

culis euolant; tota planta grauiter olet; prouenit copiosa in agro genuensi in Monte rubeo. Pro vsu medicinæ folia, liquor, & semina in officinis essent asseruanda.

LIGNVM *Aloes vocatur à Græcis: agallochon, & xilaloi: Arabibus, hoad, agabian, agalungia, agalugen: Latinis, lignum aloes: Italis, legno aloe: Germanis, aloes holtz: Hispanis, lin aloe. Est lignum arboris arabicæ vel Indicæ; quod probatur, si nigrum, variumq; ostenderit colorem; succi plenum, ponderosum, duritie compactum, crassum, gustu adstringens cum quadam amaritudine, odoratum cuteq; verius quam cortice vestitum existerit.*

LIGNVM *guaiacum, Indum, et sanctum, est lignum Arboris indiæ occidentalis; quod est omnibus notissimum; præfertur illud, quod ex iuniori caudice recenter fuerit sectum tam exterius, quam interius albicans; rimiscarens; densum; ponderosum; minimè cariosum; odoratum; gustui acre & subamarum; cortices etiam erunt ex vsu, qui ex præstantiori caudice detracti & recentes extiterint.*

LILIVM *vocatur à Græcis, Krinon & lirion: Arabibus, susen: Italis, giglio: Placentinis, zio: Germanis, lilgen; & gilgen:* HISPA*nis, azucena; & lirio bianchо: Gallis, lis. Planta est notissima, nostra tempestate in omnibus ferè hortis conspicitur; cuius flores cum suis*

internis

internis filamentis seu staminibus croceis vnà cum radicibus bulbaceis sunt in vsu apud medicos.

Limonia poma seu mala, sunt fructus cunctis non incogniti, quibus nomenclationibus ab exteris donentur non constat nobis; Horum acetositate vtuntur aromatarij pro vsu medicinæ & intinctorum.

Lingva Avis, est semen fraxini. Vide F. cap. de Fraxino.

Linvm vocatur à græcis, linon: Arabibus, bazarichichen; seu bezerchetan: Italis, lino: Germanis, lein; & flachs: Hispanis, lino: Gallis, lin. Planta est notissima & omni laude dignissima ob commoda, quæ nobis præstat. Semen huius cum farina eiusdem custoditur in officinis pro vsu.

Lysimachia vocatur à Græcis, lysimachion: Latinis & Italis, lysimachia, & salicetta: Germanis, veiderich. Herba est fruticosa, quæ emittit caules cubitales & altiores, tenues, fruticosos; folia geniculatim prodeuntia, tenuia, salicis figura, gustu adstringentia; flore ruso, aureo, & purpureo: spectatur frequens in agro Placentino in aquosis & palustribus & secus riuorum & scorbium margines. Præfertur illa, quæ florem luteum emittit.

Libysticvm vocatur à Græcis, ligustikon: Latinis, ligusticum, & libisticum. Ha-

ctenus

ctenus non constat, quæ sit vera planta libysticum appellata, cuius semen ad vsus medicinæ esset trahendum; in huius locum subrogari potest semen Imperatoriæ, vel carui, vel anisi, vel Petroselini, vel Pastinacæ.

LIQVIRITIA vocatur à græcis, clykyrriza: Arabibus, sus: Latinis, glycyrrhiza, & dulcis radix: Italis, liquiritia: Placentinis, rigolitia: Germanis, lecKritz, seu sucszholtz: Hispanis, regaliza: Gallis, rechiss, seu reygulisse. Herba est fruticosa, folijs lentisci, pinguibus, tactuq; resinosis, flore hyacinthi; fructu magnitudinis platani asperiore, qui siliquas lentium modo habet rufas & paruas; radices, quarum est vsus, subsunt longæ, coloris Buxei gustu subacerbo & dulci; ab his exprimitur succus pro vsu medicinæ. Prouenit in agro Placentino in Montibus incultis & asperis propè arcem alzesij.

LITARGIRIVM vocatur à græcis, lithargyrus: Arabibus, martech, seu merdasengi: Latinis, lithargyrus & spuma argenti: Italis, lithargirio & schiuma d'Argento: Germanis, gleff, Hispanis, almartaga, litargirio & yezes d'oro. Lithargyrus nihil aliud est, quam plumbum Æris vel argenti vaporibus commistum; qui plus æris quam argenti, habet, lithargyrus aureus ratione coloris nuncupatur; qui verò plus Argenti habuerit, lithargyrus Argenteus vocabitur;

bitur: vterque paratus in officinis spectatur.

LVPINVM *vocatur à græcis, thermos: Arabibus, tarinus, seu tharmus: Italis, lupino: Placentinis, louino: Germanis, vuickbonen: Hispanis, entramuces; & entramocos: Gallis, lupinis. Planta, quæ in agro Placentino more cæterorum leguminum, seritur in pauca tamen quantitate. Huius semen & farina custodiuntur in officinis pro vsu.*

LVPVLVS *vocatur à Græcis, vryon: Latinis, lupus salictarius: seu lupus reptitius: Germanis, hopffen: Placentinis, liuertise. Planta est notissima sepes circumuestiens, folijs asperis cucumeris modo; floribus exilibus, folliculis squamatim compactis racematimq; dependentibus, subcinericio colore, & odore aliquantulum graui; radice subnigra & longa.*

M

MACER *vocatur à Græcis, maker: Arabibus, thalisfar: est cortex radicis arboris indicæ ex malabar, crassus, asper, durus, scaber, foris colore cinericio, intus albo præditus; recens lacteo succo madet; siccus subluteus spectatur sapore admodum adstringente. Hic ad nos non affertur; In cuius locum substituitur Balausthium.*

MACIS vocatur à Græcis, makis: Arabibus, bisbeſe: latinis, & Italis, macis: Germanis, muſcaten blumen: Hiſpanis, macias & macas. Eſt tegumentum, quo Nux moſchata inſtar prætextus ſeu retis contegitur, tenue, odoratum, guſtu feruens & acre.

MAIORANA vocatur à Græcis, ſampsykon, & amarakon: Arabibus, merzenius, ſeu morſangius: Latinis, ſampſucum, amaracus, & maiorana: Italis, perſa, maiorana, & maggiorana: Placentinis, mizorana: Germanis, meyeron & mæyram: Hiſpanis, maiorana: Gallis, marone & mariolaine. Herbula eſt mulierculis notiſſima & gratiſſima, quæ obſui odoris præſtantiam & iucunditatem, & quia perpetua viret coma ſeritur in hortis, vel huius ſurculi plantantur, ſeu in vaſa lignea vel fictilia transferuntur. Pro vſu medicinæ probatur illa, quæ Venetijs ad nos affertur; vel noſtras, quæ Gentilis vulgo appellatur.

MALABATRVM vocatur à Græcis, malauathron, & phyllon: latinis malabatrum & folium: Arabibus, ſadegi: Italis, folio indiano odorato. Noſtra tempeſtate ad nos non affertur; in cuius locum ſubrogatur nardus Indica aut macis.

MALVA vocatur à Gręcis, malachi: Arabibus, chubeze; ſeu chabazi: Germanis, pappel: Hiſpanis, maluas: Gallis, malue: eſt herba etiam

ba-

baiulis cognita cuius foliorum & florum eſt vſus.

MANDRAGORA vocatur à Græcis, mandragoras: Arabibus, iabora, ſeu yabrobach: Italis, mandragora: Hiſpanis, mandracola: Gallis, mandragore, & mandegloyre. Planta hæc duplex reperitur vna fæmina, altera mas dicitur. Mas gerit folia ſubalba, magna, lata, læuia vt Betæ, poma ſeu mala, quam fæminæ, duplo maiore, colore in crocum inclinante, iucundè cum quadam grauitate olentia; radicibus inhæret humi magnis, binis, ternisvè inter ſe conuolutis, nigris foris, intus albis, craſſo cortice veſtitis, abſq; caule fæmina verò fert folia nigra lactucæ ſimilia ſed anguſtiora & minora, graueolentia, humi ſparſa, fructus pomi ſeu mali ſimiles, ſorborum ſpecie, pallidos, & odoratos, in quibus eſt ſemen vti pyrorum; radices maris ſubſunt minores & minus candidæ, ſine caule. folia, poma ſeu mala & radices inſeruiunt medicinæ. Prouenit vtraq; frequens in gargano ſeu S. Angeli Monte Apuliæ.

MANNA eſt id (quod legitur in monumentis græcis in latinum translatis) Mel aereum, Latinis roſcidum & frondium mel: Hæbreis; man, & manhu: eſt liquor roſcidus condenſatus & concretus ſupra frondibus fraxini & orneogloſſi Arborum, nec non etiam in earumdem corticibus inhibitus, ex quarum inciſione emanat, poſtea

postea concrescit in mellis formam; qualis etiam colligitur summo manè super frondibus Arborum prædictarum iulapij perfectè cocti guttas referens; quod manna ab Arabibus dicitur, tereniabin. Frondium potius quam corticis manna eligendum est; quod in grumis concretum spectatur; candidum; gustu dulce, palato perquam gratum; minutis granulis, translucidisq; mastiches granis similibus constans.

MANNA THVRIS vocatur à græcis, manna liuanoton: est mica thuris farinam referens, concussu, quando thus conuehitur, elisa. In huius defectu subrogetur thuris cortex.

MARCHESITA vocatur à Græcis, lithos pyritis: Arabibus, hageral seu Alrusenai: Latinis, lapis pyrites: Italis & officinis marchesita: Germanis, Kis & stuoff: prouenit in terræ visceribus vbi & metalla; est genere & colore diuersa; plerunq; aureis vel argenteis scintillis est respersa, aliquando Æs tantùm continet, nonnunquam Aurum & Argentum. Præfertur illa, quæ est similis æri, & chalybe percussa facile igneas scintillas emittit.

MARGARITÆ vocant Græci, margaritas: Arabibus, hageralbato: Latini, margaritas & vniones; Itali, perle: Germani perlin: Hispani, perlas. Has gignunt conchæ marinæ ab Italis, madre perle, & ostreghe; nuncupatę; hæ sunt duplices orientales quippè & occi-

occidentales. Præferuntur magnæ, candidæ, argenti colorem & splendorem imitantes, rotundæ, læues, & graues; nec, si horum facultatem spectamus, refert, si sint integræ vel perforatæ.

MASTIX vocatur à Græcis, mastiki: Arabibus, mastech, masteche, seu mastoche: Latinis, mastiche, seu resina lentiscina: Italis, mastiche: Germanis, & Gallis, mastic: Hispanis, almastiga. Est lachryma, liquor, seu Resina, quæ colligitur à lentisco arbuscula in insula chio græciæ à qua ad nos transfertur. Probatur mastiche candida, splendida, friabilis, stridorem edens & odorata.

MATRIS SILVA vocatur à Græcis, periklymenon: Latinis, periclymenum: Italis, madresylua: Gallis, vincebose: Germanis, geiszblatt: Hispanis, madresylua: est planta fruticosa ferens folia parua ex interuallis caulem amplectentia, subcandida, hederacea, sed oblongiora; inter folia surculi exeunt, in quibus pendent baccæ hederæ similes; flores prodeunt fabaceis similes candidi aliquantum rotundi & quasi in folium procumbentes; semen est durum, quod cum difficultate euellitur; radix subest rotunda & crassa. Prouenit copiosa in agro Placentino in sepibus, propinquas vinciens & amplectens plantas. Huius folia & semina vsui conferunt.

MEDVLLA vocatur à Græcis, myelos: Arabibus, moch, seu mochialhaladam: Italis,

midolla:

midolla: Germanis, march; Hispanis, tuetanos, & tutanos: Gallis, moelle. In officinis vitulina & ceruina potissimum asseruari pro vsu debent.

MEL *vocatur à Græcis, meli: Arabibus, hael, seu hassel: Latinis, mel, & mel apum: Italis, mele: Germanis, honig: Hispanis, miel: Gallis, myel. Præfertur subflauum; compactum; graue; lentum, & viscidum; odoratum; summe dulce, & subacre; quale est hyblæum siculum; & Hispanum.*

MELEGETA *vide c. de Cardamomo L. C.*

MELILOTVS *vocatus à Græcis, melilotos: Arabibus, alchilelmelich: Latinis sertula campana & melilotus: Italis, meliloto: Hispanis, corona del Rei. Est herba valdè odorata cubitalis, à cuius radice vnica & tenui exeunt caules copiosi; fertq; trifolij folia in origine angusta, & in cacumine latiora cum pediculo oblongo, flores prodeunt crocei & odorati, à quibus nascuntur siliquæ conuersæ, in quibus continetur semen paruum, subrubeum & odoratum, cuius debet esse vsus in officinis; iandudum Venetias cœpit afferri in tenuibus corniculis inclusum; Nascitur melilotus in pluribus campaniæ locis, & gargano seu S. Angeli monte apuliæ Pharmacopolæ pro plantæ huius seminibus vtuntur loti pratensis vel trifolij caballini floribus, at magno cum errore, curent igitur vt Venetijs meliloti semen legitimum habeant.*

MELO

Melo vocatur à Græcis, Pepon: Arabibus, batecha seu batiech, latinis, pepon: Italis, pepone Placentinis, m ellone, Ger manis, pfeben & melon, Hispanis, melon, gallis, Melons. Planta est olitorum, quæ vna cum eius fructibus est notissima; quorum semina custodiuntur in officinis pro vsu.

Melissa sive Melisophillum, vocatur à Græcis, Melissophyllon: Arabibus, Bedarangit, bedarungi, bederenzegum, turungen, turungiam, & Marmacor: latinis, melisophyllum, citrago, & apiastrum: Italis, melissa & cedronella; Placentinis, mulisferno: Germanis, melisen & binenkraut: Hispanis, torongil, & hierua cidrera: Gallis, melisse & pomcirade; est herba omnibus non incognita.

Mentha vocatur à Græcis, Minthi et Idyosmos: Arabibus, nahanaha: Italis, mintha: Germanis, Muntz: Hispanis, hierua buena, & ortelana: Gallis, mente. Huius plantæ delineationem aimitto, cum sit notissima; præfertur illa, quæ fert folia pauciora, & odoratiora, vulgò menta domestica, & gentile nuncupata, dantur præter mentham hanc hortensem, duo menthæ genera, quarum vnum vocatur mentha saracenica; Placentinis herba Sanctæ Mariæ; Alterum verò est mentha aquatica officinis balsamita.

Mentastrum vocatur à Græcis, minthiagria: latinis, menthastrum. est herba, quæ

fert folia menthæ hortensis sed longiora, candescentia, crassiora, odoreq; validiora sponte in incultis proueniens animaduertant seplasiarij ne pro menthastro vsurpent sisymbrium terrestre similitudine decepti.

MERCVRIALIS *vocatur à Græcis, linozostis: latinis, linozostis, & mercurialis Italis; mercorella, Germanis, bingelkraut: Hispanis, mercuriale & vrtiqua muerta: Gallis, mercuriale. Herba est officinis notissima; fert folia ocimi, & parietariæ, sed minora, & læuiora, ramulos duplici geniculorum modo cinctos; spectatur Mas, & Fæmina; Mas gerit fructus paruos, rotundos, ceu binos testiculos cohærentes à sinu foliorum dependentes, fæmina verò fructum fert copiosum, quandam racemorum speciem præbentem; vtraque planta frequens in vrbe & agro Placentino conspicitur.*

MESPILVS *vocatur à Græcis, mespili, arbor fructus verò mestilon: latinis, arbor mespilus; fructus mespilum: Arabibus, zaror; zarur; & alzarur: Italis, nespolo: Germanis, nespel: Hispanis, nesperas: Gallis, nesplier, est arbuscula cunctis nota; quæ duplex spectatur: vna, quæ ab omnibus mespilus nuncupatur; altera verò, quæ ab Italis, azarolo dicitur; primæ fructus cum ossibus asseruantur pro vsu.*

MEVM *vocatur à Græcis, Mion: Arabibus, mu: latinis, meon: Italis, meo: Germanis,*

Baer

baer vurtz: HIſpanis, *pinillo. eſt herba frutico-ſa, quæ fert folia & caulem anethi, ſed craſſio-ra, binum fermè cubitorum altitudine attolitur ſparſis in obliquum & rectum radicibus, longis, tenuibus, odoratis, linguam in mandendo calefa-cientibus, quarum eſt vſus in officinis. Naſci-tur in montibus Nurſiæ, & gargano apuliæ, in harum defectu aſſari radices vſurpantur.*

MILLEFOLIVM *vocatur à Græcis, ſtratiotis chillophyllos: latinis, ſtratiotes millefo-lium: Italis, millefolio: Germanis, garben: Hi-ſpanis, Milhoyas yerua: Gallis, millefue ille. Planta hæc in pratis Placentinis in collibus, & montibus frequens conſpicitur, caulibus lignoſis, dodrante maioribus, pluribus ab vna radice pro-deuntibus, quibus inſunt folia auium nouellarum pennis ſimilia, flores eius denſa vmbella ſuſti-nentur candidi & aliquando ſubpurpurei. folio-rum eſt vſus.*

MILIVM SOLIS *vocatur à Græcis, lithoſpermon: Arabibus, kulb, culb, cult, ſeu culb: latinis lithoſpermum & milium ſolis: Pla centinis, milio ſaluatico: Germanis, meerhirsz: Gallis, gremil, & herbe aux perles. eſt herba, quæ fert folia oleæ ſed longiora, latiora, & ſub-aſpera; caules rectos, tenues, firmos, craſſitudi-ne acuti iunci lignoſos; in quorum cacumine bi-fidi exortus cauliculorum ſpeciem exhibent folijs longis, inter quæ paruum ſemen emicat rotun-*

dũ milij magnitudine duritiæ lapidea cuiuseſt vſus

MINIM duo deſignat rem factitiam, & rem naturalem metallicam, & foſſilem; apud dioſcoridem ſandicem repreſentat ex ceruſſa vſta confectam; & apud cæteros græcos arſenicum denotat. vide. A. cap. de arſenico.

MIRABOLANI de his mauritani inter ſcriptores antiquos tantùm verba faciunt in ſuis, quæ poſteris reliquerunt, monumentis, ſunt fructus arborum peregrinarum ignotarum; quorum quinque in officinis genera ſpectantur.

FLAVA ſeu citrina, quæ probantur, ſi in viridi plenè flaueſcant; ponderoſaq́;, ſarcta, gummoſa, cortice craſſo, & oſſiculo pumillo præditaq́; extiterint.

Chepula præferuntur, ſi fuerint colore nigro purpuraſcente, cortice craſſo, cæteris craſſiora, & ſi in aquam demittantur, imum ſubitò petant.

INDICA excellunt, quæ maximè nigricant, craſſa. ponderoſa, nullo intus oſſe, & confracta cernuntur compacta in vnum.

EMPELICA laudantur, quæ in maiora, craſſiora, denſiora, ponderoſioraq; fruſta diuiduntur, & quæ minus oſſis, quam pulpæ habent.

Bellerica præferuntur craſſiora, denſiora, grauiora & corticem craſſum habentia.

MYRRHA vocatur à Græcis, ſmyrna: Arabibus, mer, mur, mor: Italis, mirrha: Germanis, mirhen: Hiſpanis, mira: Gallis myrrhe.

rhe. est gummi arboris arabicæ probatur subuiridis, splendens, vndiq; concolor, pinguis, odorata, acris, & cum frangitur venas vnguium figura læues intus ostendit, quæ rarò in officinis conspicitur.

Myrrhis vocatur à Græcis, myrris: Italis, mirrhide & cicutaria, Germanis, Vuilder borffel: est herba caule & folijs cicutæ non dissimilis, sed minutioribus, & beneolentibus; radix subest longa, tenera, rotunda, odorata, in cibis non insuauis, vti sunt & folia primo germinatu prouenit copiosa in agro Placentino præsertim propè minutæ transpadanæ pagum. Radix est in vsu.

Myrtillvs, est bacca myrti.

Morvm est fructus arboris, quæ à Græcis, vocatur morea & sikaminos: latinis, morus: fructus verò sik aminon dicitur: latinis, morum: Italis, moronæ: Arabibus, tut, seu tuth: Germanis, maulberbaum: Hispanis, moras del moral: Gallis, Maurier. hic fructus duplex spectatur, celsi mori; & Rubi, Placentinis, raza, Græcis, batinon, & batinion: Germanis, bramaor & kratzber; vtriusque vsus est, sed mora celsi immatura præferuntur.

Mvmia probatur illa, quæ ex Myrrha, thure, aloe, & croco, simul admistis, e cadaueribus humanis diu sepultis confecta suo tempore extrahabatur pro vsu, hac nostris temporibus ca-

remus, possit tamen præparari more antiquorum alioquin vsualis est proijcienda.

MVSCVS à Mauritanis vocatur pat: latinis, Moschus: est sanguis corruptus contentus in folliculo vi euulso ab animali albo capræ simili sed proceriore; hic moschus sic euulsus immaturus censetur, & tetrum nanque spirat odorem, donec libero suspensus aere maturuerit; maturus autem & naturalis, est ille, qui effunditur, quando animal post apostematis seu vomicæ maturitatem sese magno cum oblectamento affiricat arborum truncis. stiptibusq; aut saxis; solis nanq; coctione & cæli benignitate maturitatem consequitur. Præfertur moscus colore subflauus, & maximè odoratus.

N



APVS vocatur à Græcis, bunias: latinis, napus, Italis, nauono: Germanis, steckueben: Hispanis, Nabicas: & Gallis, nauet. Planta est hortensis, cuius radix expetitur pro cibis; semen asseruatur pro vsu Medico.

NARDVS vocatur à Græcis, Nardus: Italis, nardo: officinis spica nardi, Arabibus, seubel: est herba, quę triplex reperitur.

INDICA quæ materna lingua dicitur cem

bul

bul, est comosa, leuis, flaua, perquam odorata, radicem fermè cyperi redolens, gustu subamara, & linguam exsiccans.

CELTICA, *est breuis & exigua planta folijs oblongis, colore in flauum languido; flore luteo; radice tenui digitali, à qua multa germina prodeunt, quæ vnà cum caule suauiter olet; hæc affertur ad nos ex liguria in cuius alpibus prouenit.*

MONTANA *est planta, quæ gerit folia incisa phù seu valerianæ maioris æmula, sed in summitate acutiora & angustiora, in parte duplici caulis tantùm prodeuntia, propè radicem infernè integra, supernè verò incisa, & in caulis medio triplici ordine distincta, & omnia incisa; in cuius cacumine vmbella floribus emicat; radices subsunt binæ nigræ, & odoratæ, figura asphodeli seu hastulę regię radicum, minores tamen, & tenuiores, quarum est vsus; Indicę & celticę planta tota vsurpatur.*

NASTVRTIVM *vocatur à Gręcis,* kardomomon: *Arabibus, norf alchef, seu narf: Italis, nasturtio & agretto: Placentinis, nastorzo: Germanis,* kressen, & gartenkress: *Hispanis et nasturcio, & Malpica: Gallis, cressondi iardinet & nasifort. est herba hortensis, folijs paruis laciniatis caule tenui sesquipedali; flore albo; semine in rubeum nigricante, folliculis rotundis, & pressis contento; cuius est vsus.*

NENVPHAR *vocatur à Gręcis, nym-*

phæa: Arabibus, nenuphar, niluphar, nilofar, & ninofan: Italis, nimphea: Placentinis, taer d'acqua Germanis, gelb, vueisz nebluomen; & baruurtz: Hispanis, escudetos del rio: Gallis, blanc de eau, launet de eau, & lis de stang. planta est aquatica in paludibus & stagnis prouenien s, folia habet rotunda, & magna, quarum aliqua spectantur in summitate aquę, aliqua verò demersa, flore lilio simili circum albo, & in medio croceo; & quando deflorescit in rotundum malum, vt papaueris caput extuberat, nigro semine, denso, latoq;, refertum; caule lęui, nigro, & tenui, cui subest radix nigra, scabra & magna. Hęc planta est in duplici differentia; maior nanque, & minor; Maior adhuc est duplex vna est flore albo, altera luteo prædita alborum florum, & radicum est vsus. Nascitur copiosa in agro Placentino traspadum in aquis stagnantibus.

NIGELLA vocatur à Græcis, melanthion: Arabibus, xamin, sunis, seu sunizi: latinis: gith, & Melanthium: Italis, melantio: Placentinis, herba speciara, Germanis, schuuartz roemisch, & schuuartz coriander: Hispanis, neguillia & alipiure: Gallis, pourelle et nielle: est herba hortensis, folijs constans minutim incisis, ramulis tenuibus; capitulis in cacumine paruis, oblongis & tenuibus; in quibus semen includitur nigrum intercursantibus membranis

branis diſtinctum, acre & odoratum, cuius eſt vſus.

NITRVM vocatur à Græcis, nitron, & litron: Arabibus, Baurach: Italis, nitro eſt quidam ſuccus aquis in terre viſceribus miſtus, qui vi ignis poſtea concreſcit in ſalis morem. Probatur nitrum roſeo colore, aut candido, leue, in foramina dehiſcens, quale ad nos nō ad affertur. Vtantur ſeplaſiarij omni opera & ſtudio vt optimum ex Alexandria Ægypti ad nos importetur; interim ſal gemme ſubrogetur.

NVX MVSCATA vocatur à Græcis, myſchokarion & myſchokaridion & karion myriſtikon: Arabibus, Ieuzahaue, & iuſbague, ſeu giauziban: latinis, nux moſchata, & myriſtica: Italis, noce moſchata: Germanis, muſcat nusz: Hiſpanis, nuez de eſpecie: Gallis, nois muſcades. Fructus eſt arboris indice perſico ſimilis, folijs attamen anguſtioribus, & breuioribus. Præfertur illa, nux, quæ non eſt carioſa, ſed ponderoſa; farcta, pinguis, & ita humore redundans, vt acu admota, e, vulnuſculo humor exeat.

O

OCHRA TERRA, vocatur à Græcis, ochra: Italis, terra gialda. Prouenit in fodinis plumbi aureo colore emicans. Probatur leuiſſima; omnino lutea; ſaturata, friabilis, & non lapidoſa.

OCIMVM vocatur à Græcis, o'imon: Arabibus, berendaros, & bedarog: latinis, ocimum, Italis, basilico; Placentinis, basalico: Germanis, basiliem, & basiligram: Hispanis, albahaca: Gallis, basilich. est herba hortensis, quæ obsui odoris iucunditatem à mulieribus in vasis ligneis vel fictilibus fouetur. Huius semen asseruatur in officinis pro vsu.

OESYPVM vide I. cap. de Isopo humida.

OLEVM vocatur à Græcis, elæon: Arabibus, cait seu zait: Italis, olio: Germanis, Oel: Hispanis, Azeite: Gallis, huyile. est succus ex oliuis arboris oleæ expressus; quæ sunt vel maturæ, vel immaturæ; ex maturis oleum citra vllam adiectionem dicitur ex immaturis verò omphacinum nuncupatur; quorum vtrumq; inseruit medicinæ.

OLIBANVM vocanur à Græcis, libanos & liuanotos, Arabibus, ronder, conder, & katech: latinis, thus: Italis, incenso: Germamanis, vueiraucb: Hispanis, enciense: gallis, encens. est Resina compacta arboris arabicæ. Probatur thus candidum, rotundum, quando frangitur intus pingue & in suffitu odoratum, & ardens.

ONONIS vocatur à græcis, ononis & anonis: latinis, ononis, & anonis: Italis, ononide, bonaga, & resta buo: germanis, hauubechel,

chel, & stallkraut: Hispanis: gathilos & gathinos: Gallis, bugraues, & bugrundes. Herba est fruticosa folijs lenticulæ tenuibus, pusillis, quæ ad rutæ vel lotipratensis effigiem proximè accedunt subhirsutis et odoratis, floribus Pisis (Placentinis il rouiglione) ferè dilutioribus ad purpuram tendentibus; in siliquis non vndequaque septis; radix subest in nigrum candicans cuius est vsus, duplex spectatur, vna cum spinis, altera spinarum expers. Proueniunt copiosæ in agro Placentino, præsertim in torrentium alueis.

OPIVM vocatur à Græcis, opion, & mikonion: Arabibus, Afiun latinis, opium, & meconium: Italis, opio, & alopio: optimum cencetur illud, quod ex incisi papaueris nigri vel albi capitis lachryma exit & concrescit; graue, densum, gustu amarum, quod facilè aquo diluitur, læue, candidum, non asperum, non grumosum, quod inter colandum non coit vt cera, in sole diffunditur, lucernis admotum non lucet atra flamma, & extinctum odoris vim conseruat; hoc officinæ carent. Id nanque quod vsurpatur est meconium, quod ex succo foliorum & capitum papaueris in contritorum, & expressorum conficitur, Ideò pharmacopolæ curent vt legitimum habeant.

OPOBALSAMVM. Vide B. cap. de balsamo.

OPOPANACVM vocatur à Græcis, opopa-

opopanax : latinis, opopanax : Italis, opoponaco : Hiſpanis, opoponaque. eſt lachryma, ſeu gummi, plantæ, quæ à Græcis dicitur, panaces iraklion : Arabibus, ſteuiſir, ieuſir, ſeu giauſir : latinis, Panaces heracleum : Italis, panaceheraclio. Folia fert aſpera, in terra iacentia, herbacei coloris, ficulneis ferè ſimilia in ambitu quinque partitò diuiſa, caulem vt ferulæ, altiſſimum, qui lanugine quadam incaneſcit, folijs etiam minutioribus obſitus, muſcarij ceu anethi, in cacumine, flore luteo, ſemine odorato & feruente; radicibus nititur multis ab origine vna candidis, graueolentibus, craſſi corticis, & guſtus ſubamari. Opopanax probatur ſi foris flauus, intus ſit albus fragilis, amarus, in aqua facilè ſolubilis, & odoris plantæ à qua exit.

ORIGANVM *vocatur à Græcis, origanos : Arabibus, fandenegi, fudenegi, & faudenegi : latinis, origanum, & cunila : italis, origano & regamo. Germanis, volgemuot : Hiſpanis, oreganos : Gallis, origan, & mariolaine baſtardæ. eſt herba, quæ fert folium ſimile Hyſſopo, vmbellam non rotundam ſed vti multifidam, maioranæ haud diſſimilem ſemine raro in ſummitate caulium; huius tria ſpectantur genera, heracleoticum, onitis, & Syluestre, quæ omnia in agro Placentino proueniunt. Pro vſu antecellit origanum ex oriente translatum, quod officinæ habent.*

OROBVS vocatur à Græcis, orouos: arabibus, herbum, Keisene, seu Kersene: latinis, eruum: Italis, eruo: Placentinis, Roueia: Germanis, eruen: Hispanis, ieruos: Gallis, ers. Planta hæc mittit folia lathyri ceu cicerculæ. (Placentinis, ciserchia) æmula; florem pisorum modo (Placentinis, rouiglioni) admodum rufescentem; siliquas forma teretes, & oblongas, in quibus semen colore in aliquibus pallido, in nonnullis candido, in quibusdam rufescente, continetur, quod est oblongum vtrinque compressum, ciceris magnitudinem æquans; cuius est vsus pro farina conficienda, quæ sic debet præparari.

eligantur semina rufescentia vel pallida; & aspergantur aqua donec illam imbiberint; postea torreantur ad corticis fracturam; deinceps molitoribus tradantur; molita farina cribro farinario incernatur; quæ recondatur pro vsu medicinæ.

OS CORDIS CERVINI Si hoc non potest haberi, subrogetur Carthilago cordis ceruini, seu ebur.

OS SEPIÆ vocatur à Græcis sepia, sipia Arabibus, sarathan, & sarthan: Italis, sepia: Germanis, blacfich. Hispanis, siba: Gallis, seche. est piscis vulgaris notitiæ apud venetos; habet os dorsi candidum superiori parte durum, & læue; inferiori verò fungosa, quadam medulla, repletum, quæ & leuiter aspera,

& ligni

& ligni modo frequentibus venis distincta spectatur. Huius piscis os est in vsu; quod si pharmacopolæ non habeant, auri fabros adeant, qui hoc semper pro anulorum formis præmanibus habent.

P


ALMA CHRISTI, vocatur à Græcis posterioribus, satyrion vasiliKon: Arabibus, bucheiden: auicennas, digiti citrini; latinis; satyrium regium: Germanis, Kreutz blumen: officinis, palma Christi tum ob similitudinem quam huius radix cum humana manu habet, tum etiam ob vtilitatem, quam ægrotantibus, præstat. Huius duo spectantur genera maius quippè & minus; palma Christi maior fert folia lilij, læuia, patula, maculis quibusdam nigris respersa; caulem rotundum; florem spicatum varium in purpura albicantem odore grato; radices subsunt binæ manus humanas referentes; minor verò folijs constat croci; caule dodrantali, iunceo, & læui; in cuius cacumine flos emicat purpureus amaranti similis, radici vnicæ nititur manui humanæ simili; Harum radices possunt trahi ad Medicinæ vsus.

Papauer vocatur à græcis, mikon: Arabibus, thasthax, seuchascabs; Italis, papauero; Germanis,

nis, mugſomen: Hiſpanis, dormidera: Gallis, pauot. eſt herba hortenſis notiſſima, cuius duo ſpectantur genera vſui accommodata, album inquam & nigrum, à ſeminibus ſic nuncupata. quorum eſt vſus. Datur præter hęc, papauer Syluestre, quod à Græcis vocatur, roias: Placentinis, Confalone: Germanis: Klapper *roſen: Hiſpanis, ampolia, & papoula; Gallis, coquelolurdeis. hæc planta maio menſe in campeſtribus eſt adeo numeroſa, vt fruges videantur veſtitę veſtimentis puniceis ope florum huius papaueris; qui exſiccati aſſeruandi ſunt pro vſu.*

PANIS PORCINIS *vocatur à Gręcis* Ky*claminos: Arabibus, burchormarien, buthermærien, ſeu bothormarię; latinis, cyclaminus, rapum terrę, tuber, & vmbilicus terrę: barbaris, panis terrę, cyclamen, & arthanita; Italis, ciclamino & panporcino: Germanis, erdurtzoder apffel, & ſchuuein oder ſeuobrot: Hiſpanis, pan de pucreo: Gallis, Pain de pourceau. eſt herba, quę folijs conſtat hederaceis, purpureis, varijs, in quibus ſupra, infraque albicant maculę caule nudo quaternos digitos ęquantē, floribus purpureis deorſum ſpectantibus odoratis; radix ſubeſt nigra, rotunda, & aliquantulum lata; cuius eſt vſus.*

PARIETARIA *vocatur à Græcis, elxini, & perdikion: latinis, helxine, perdicium vitriola, vrceolaris, & muralis; Placentinis,*

tinis, vidriolo: Germanis, tag vnd nacht: Hispanis, yerua del muro: Gallis, paritoire. est herba parietibus familiaris, quæ constat folijs mercuriali similibus, hirsutis, cauliculis subrubentibus, & circa hos seminibus asperis; quæ vestibus, adhærent, radix est superuacua.

PASTINACA *vocatur à Græcis, staphylinos: Arabibus. iezar, gezar, & giezar: latinis, pastinaca: Germanis, pastaney, pastinachen: Hispanis, canaoria blanqua: gallis, pastenades. est herba, quæ est in duplici differentia, vna est domestica, & satiua, quæ à Placentinis, carugula dicitur; altera verò est Syluestris, quæ à Placentinis, bastonaia nuncupatur Syluestris, semina et radices sunt ex vsu, ideò asseruandæ in officinis.*

PEONIA *vocatur à Græcis, glykysidi & pæonia arabibus feonia: galeno, glycysida: Italis, peonia: latinis, pæonia: Germanis, peonien: Hispanis, rosa del monte, e, rosa albardiera: Gallis, penoesne, & pinoine. est herba fruticosa, cuius duo sunt genera mas quippe, & fæmina; mas constat folijs iuglandis seu nucis; radice crassitudine digitali, palmi longitudine, & sapore adstringente; hæc præfertur pro medicinæ vsu. Fæminæ folia smyrnij modo diuiduntur, & radices subsunt septem aut octo ceu glandes vt asphodeli; flores summo caule vtrisque plantis rosam ferè referentes emicant, quibus decidentibus si liquæ*

emer-

emergũt amygdalis similes, in quibus multa grana, exigua, rubra, acinis Punicorũ seu malorum granatorum similia spectantur, & in medio nigra purpurea quinque aut sex; quæ debent asseruari pro vsu. Fœmina prouenit copiosa in agro Placentino vigoleni nemoribus & riui gagliardi.

PERSONATA vide B. cap. de Bardana.

PETROSELINVM vocatur à Græcis petroselinon: Italis, petroselino de gli horti: Placentinis, petrosemole, & sauore. est herbula hortensis notissima; cuius seminis, & radicum est vsus. Dantur etiam aliæ plantæ hoc nomine dotatæ, quarum historia dimittitur, quia non sunt in frequenti vsu.

PEVCEDANVM vocatur à Græcis, peukedanos: Arabibus, harbatam, Italis, Peucedano. est herba fruticosa, quæ profert caulem, tenuem, gracilentum, fœniculo similem, comam statim à terra copiosam & spissam, flore luteo; radici nititur nigræ, crassæ: graui odore, & succosæ, cuius est vsus. Prouenit frequens hæc planta in vigoleni nemoribus trans torrentem strionum in tractu Placentino.

PILOSELLA est herbula à recentioribus tantum descripta, quæ fert folia in terram sparsa, longa ecchij instar, pilis innumeris, & lanugine obductis; caulem duorum palmorum altitudine; florem Cyani, sed maiore; foliorum est vsus. Nascitur in agro Placentino copiosa in

asperis secus vias publicas.

PIMPINELLA *est herba recentiorum; quæ est in duplici differentia, vna hortensis, notissima, quæ pro acetarijs expetitur; altera verò Syluestris, quæ est duplex, vna, quæ penitus refert hortensem; altera verò adhuc duplex, maior, & minor; Maiori subest radix longa folijs circumquaque terræ procumbentibus dissectis vti pimpinellæ hortensis, & per ambitum serratis, caule quadrangulari, floribus in vmbellam cohærentibus tenuibus, albicantibus; Minor vero caule constat rubenti folijs minoribus, minus dissectis, minutiusque serratis; radice minori; radices trahuntur in vsum subnomine saxi fragiæ. Vide S. cap. de saxifragia. vtreque hircum redolent.*

PINGVEDO *vocatur à Græcis, stear: Arabibus, menini, vxabam, seu sabam: latinis, adeps seu pinguedo: Italis, grasso: Hispanis, gordura: Gallis, gresse. Porci verò adeps vocatur à Græcis, stadision, & agillion, Axungia latinis, sugna vel sonza Italis gallinæ, anseris, vituli, vrsi & taxi adipes in officinis asseruari debent.*

PIPER *vocatur à Græcis, piperi: Arabibus, Fulfel, fulfil, & fulful: Italis, pepe: Placentinis, peuere: Germanis, pfeffer: Hispanis, pimienta: Gallis, poyur. Piperis quattuor spectantur genera.*

PIPER *album, quod vocatur à Græcis, leuko-*

leukopeperi; probatur recens, læue, ponderosum, magnum, acerrimum, & odoratum.

PIPER nigrum quod vocatur à Græcis, melanopeperi: præfertur recens, ponderosum, acre. & odoratum. planta, quæ hoc piper producit tantum differt ab illa, quæ fert album, quantum distat vitis, quæ vuas profert nigras, ab ea quæ albas; in nonnullis Venetiarum, vt fertur, hortis ambo spectantur plantæ.

PIPER longum, quod vocatur à Græcis, makropeperi: est fructus plantæ multum diuersæ à prædictis. probatur non cariosum, ponderosum: acre & odoratum.

PIPER saracenicum, quod vocatur à Placentinis, peuerone; latinis, siliquastrum; piper Indianum, & zinziber caninum. est fructus herbæ vulgaris notitiæ, quæ à mulierculis fouetur in vasis fictilibus super fenestris; constat caule rubro, longo, crebris geniculis, folijs lauri, sed longioribus & angustioribus, floribus candidis, siliquis cum maturuit colore corallij similibus, in quibus continetur semen subflauescens, tenue gustu piperis, radice vnica, subalba, capillamentis, fibrata, hoc piper sub grauissima pœna esset abdicandum ab officinis, ob multas, quæ ex hoc possunt fieri, imposturas.

PIX vocatur à Græcis, pissa xira & Palimpissa: Italis, pece, & pece nauale: & Pesa. Gallis, Poix seche; Pix liquida vocatur à

Græcis, pissaygra: Arabibus, cerf, cest, rest, et Kir: Germanis Pix omnis dicitur, bech: Hispanis, etiam pex negra: Gallis, Poix fondue. Ambo sunt factitiæ ex lignis arboris pini veteris ope ignis. Vtraque debet esse in promptu in officinis.

PLANTAGO vocatur à Græcis, arnoglosson: Arabibus, lisen aut lesan alhamel: Italis, piantagine: Placentinis, piantana: Germanis, vuegerich: Hispanis, lhanthem: & tamehagem: Gallis, plantain: herba est cunctis notissima; cuius folia et semina sunt in vsu.

PLVMBVM vocatur à Græcis, moliudos Italis, piombo. est metallum è, terræ visceribus effossum omnibus non incognitum; crudum & vstum custoditur pro vsu.

POLIVM vide I. cap. de Iua.

POLYPODIVM vocatur à Græcis, polypodion: Arabibus, Bisberg, aibeig. seu beffaigi: latinis, Filicula: Italis, polipodio: Germanis, engelsuesz & baumsfarz: Hispanis, filipodio & polipodio; Gallis, polipode. est herba, quæ in muscosis Petris, & uetustis arborum caudicibus nascitur, palmi altitudine, filici similis, subhirsuta non tenui perinde diuisura, radix subest pilosa, in qua continentur cirri ceu polyporum piscium crassitudine digiti minoris coloris intus herbacei, gustu aliquantum austera, & subdulcis. Præfertur polypodij radix, quæ est quercus caudice

vetu-

vetusto fuerit euulsa.

POPVLVS est arbor, quæ duplex conspicitur, vna nigra, altera alba: Nigra vocatur à græcis, Aigiros: Arabibus, aur romi: latinis, populus nigra: Italis, popolo nero: Placentinis, arbore & arbera: Germanis, aspen, & popelueiden: Hispanis, almo nigrilho, gallis, tremble, & peuplier. Huius gemme resinosæ primo verè decerpuntur pro vsu medicinæ. alba verò populus vocatur à græcis, leuchi: Arabibus, haur: latinis, populus alba Italis, popolo biancho: Placentinis pioppa, fioppa, & tauernello, germanis, bellen, popelbaum, & sarbaum: Hispanis, almo biancho: Gallis, peuplier. Huius apud Medicos nullus est vsus.

PORTVLACA vocatur à græcis, andrakni, Arabibus, bakleancha, seu bachale albanicha: Italis, portulaca, & porcacchia, Placentinis, porcellana: germanis, brutzelkraut, & portzelkraut, Hispanis, verdolagas & baldroegas, gallis, pouepur pourchaille. Herba est hortensis & Syluestris cunctis notissima, cuius foliorum & seminis est vsus in officinis.

PRASIVM vocatur à græcis, prasin, Arabibus farasio seu frasium; latinis, Marrubiũ: Italis, marrobio, germanis, andron, & langen Kraut: Hispanis, marruio: gallis, marrubin. est herba fruticosa mulierculis potissimum rusticanis cognita, quæ est ab radice ramosa, candicans,

ſubhirſuta, ramis quandrangularibus; cuius foliũ ęquat pollicem ſubrotundum hiſpidum, rugoſum, odoratum guſtu amaro; ſemen gerit in caulibus ex interual.is poſt caſum florum, qui ſunt verticillato ambitu aſperi, radici niti ur ſuperuacue. foliorum eſt vſus. Prouenit hec planta in hortis & propè ruinas, Ædificiaq; vetera in pagis potiſſimum Placentinis.

PRVNA *vocantur à græcis* Kokkymila, *Arabibus, agias, Italis, Prune & ſuccine, Placentinis, brugne, Germanis, praumen, & Kriechen: Hiſpanis, prunas, Andrinas, anexas, gallis, prune Horum fructum cunctis notiſſimorum plura inueniuntur genera, pro vſu medicinæ admittuntur tantum damaſcena à Placentinis maſſenghi, nuncupata & pruna Syluestria abÿs, Prugnoli, appellata. Damaſcena matura decerpenda ſunt adeò ut omnis aciditatis ſint penitus expertia.*

PSYLLIVM *vocatur à Grecis, pſyllion, Arabibus, bazara, chatona, ſeu bezer cothume, Barbaris, herba pulicaria: Germanis pſylien kraut, Hiſpanis, zaragatona, gallis, herba a pu ces. eſt herba, que profert folia coronopo ſimilia ſed longiora, hirſuta, ſarmentoſa, fæni modo, in totum herbula ramis dodrantalibus, coma à medio caule exoritur, duobus tribusvè conuolutis in cacumine capitibus, in quibus continetur ſemen durum, nigrumq; pulicem repreſentans, cu-*

ius est vsus: Psyllium Syluestre prouenit copiosum in Agro Placentino in torrentium Alueis; domesticum verò transpadum prope Casam rubeam Monachorum D. Sixti.

PVLEGIVM vocatur à Grçcis: Plikon Arabibus, alnam, alnegen, seu aluegen: Italis, pulegio: Placentinis, polezo: Germanis, poley, & hertz poley: Hispanis, poleio: Gallis, pulege & poulliet. herba est notissima prouenit, in incultis & asperis; foliorum est vsus.

PVLMONARIA est herba recentiorū in montium opacis proueniens, folio Buglossi rotundiore, aspero, hirsuto, albis maculis circumsperso: caulem fert initio veris, in cuius cacumine flores erumpunt purpurei perinde ac in vulgari cynoglosso. Prouenit copiosa in agro Placentino præsertim in nemoribus viani.

PVLMO VVLPIS, vocatur à Grçcis pneumones alopixū: Arabibus, rich & riche, latinis; pulmones vulpis: Italis, pulmoni di volpe: Placentinis, coradella de volpe: Hispanis, leuianos: Gallis, polmon. Præparati pulmones medicinæ inseruiunt.

PVMEX vocatur à Græcis; kissiris: Arabibus, faneh: Italis, pomice: Placentinis, pomesa: Germanis, eimbims; Hispanis, piedra pomez: est lapis in montium cauitatibus sexmiambustus. Mōs Ætna Siciliæ, hoc scatet. Probatur leuis, spongiosus, candidus, scissilis, syncerus, & teri facilis.

PYRETHRVM vocatur à Græcis, pyrethron, Arabibus, macharcharaha, seu nachar charha: latinis, pyrethrum, & herba saliuaris; Italis, pirethro: Placentinis, pilatro; Germanis, Bertramo: Hispanis, peliter: Gallis, pyrethre est herba folio & caule dauco Syluestri similis, fœniculi & anethi vmbellam gerit circinatæ rotonditatis, radix subest longa, pollicis crassitudine, gustu feruidissimo; cuius est vsus.

Q

QVERCVS vocatur à Græcis, Drys: Arabibus, chullat, beluth: Italis, quercia, Placentinis, querza & rouere, Germanis, eychbaum: Hispanis, robre: Gallis, chesne. est arbor notissima cuius folia, cortex, fructus & adnata sunt in vsu.

QVINQVEFOLIVM vocatur à Grecis, Pentaphyllon: latinis, quinque folium: Italis, cinquefolio: Germanis, vucisfunf; & fingerkraut: Hispanis, cinco enrama: Gallis: Quinte fueille. est herbula nota, quæ fert cauliculos tenues, dodrantales, in quibus semen, folia menthæ quina singulis pediculis, raro plura, in ambitu serrata; florem excandido subluteum auri emulum; radix subest subruba et oblonga; cuius est vsus.

QVINQVENERVIA, est plantago. Vide P. cap. de plantagine.

RESI-

R

RESINA vocatur à Græcis, ritini: Arabibus, ratin, seu natig: Italis, ragia, et resina, Placentinis, termentina: Germanis, artz. asseruantur in officinis pro vsu resinæ. Abietis, quę in officinis dicitur albezzo; est liquida, summè odorata, subflaua; gustu amaro, & subacri.

PINI, quæ duplex spectatur compacta et liquida, compacta est cerei coloris, densa, odorata, & parum acris, liquida verò albescit.

LARICIS, hæc vulgo vocatur termentina, est liquida, subalbida, & aliquantulum graui odore prædita.

TEREBINTHI; duplex conspicitur compacta & liquida, compacta albescit, est densa, non ingrato odore, & gustu subamaro. Liquida autem est illa, quę sponte ex terebinthi arbore emanat; hæc nonnullis abhinc annis cæpit ex cypro deferri Venetias, quę pro vsu compactam antecellit.

RHABARBARVM vocatur à Græcis, rauaruaron: Italis, rhabarbaro, & reubarbaro à barbaris, reubarbarum. est radix plantæ indicæ ex china orientali, in qua tantùm prouenit, aduecta. Probatur rhabarbarum recens, foris colore subnigro rufescens, intus rufo & glauco colore alternante præditum, ponderosum, quod man-

sum

ſum colore croceo, labia inficit.

REVPONTICVM, *vocatur à Græcis, ra & rion: raponticum latinis: Arabibus, raued ſeu rauend, Italis, rhapontico & reupontico eſt herba, quæ in ripis fluminis Rhaponto contermini prouenit; cuius radix ad nos affertur ꝑ vſu probatur nigra; centaurij maioris radici ſimilis; minor tñ & rufior, et leuior; fungoſa et ſine odore.*

RIBES *eſt planta antiquis ignota; recentiores ſolùm de hac hiſtoriam texunt, quę tamen non eſt vera arabum ribes, nihilominus fructus à nobis cognitus in eius locum ſubrogari poteſt.*

RIBES *vulgaris eſt frutex, folio paruo vitis, ſimili, ramulos gerit lentos & flexibiles; e, quibus fructus paruarum vuarum modo, vt in creſpino racematim dependent, rotundis ſimulq; cohęrentibus acinis magnitudine piperis, qui maturi maximè rubent ſapore ſubacido admiſto etiã dulci, quorum vſus eſſe poteſt.*

ROSMARINVM, *vocatur à Græcis, liuanotis: Arabibus, Kaier almeriem, ſeu cacholà, & elkialgeber: Italis, roſmarino: Germanis, roszmarin: Hiſpanis, romero: gallis, roſmarin. eſt herba fruticoſa hortenſis cunctis notiſſima, cuius folia & flores ſunt in vſu.*

RVBEA TINCTORVM, *vocatur à Græcis erịythrodanon: Arabibus, paueſeu fuealſabagin: latinis, erithrodanum, & rubia Placentinis: roza: Germanis, ferberroet; Hiſpanis,*

ruuia:

rubia: gallis, garance: est herba, quæ habet caules asperos, quadrangulos aparinæ similes, robustiores & multo maiores, folia per interualla circum articulos stellatim circumiacentia, semen rotundum inter initia viride deinceps rubrum; radix subest tenuis, longa rubra, gustu acerbo & aliquantum amaro: quæ est in vsu; accipienda tamen est Syluestris non domesticæ plantę radix, quę copiosa prouenit in agro Placentino.

RVBRICA terra vocatur à Græcis, miltos tektoniki: Arabibus, mogar & magra: latinis, rubrica fabrilis: Italis, terra rossa, Germanis, roetelstein. probatur syncera & friabilis.

RVTA hortensis vocatur à Græcis; piganon, Arabibus, sadeb, seu sedab: Italis, Ruta, & ruda: Germanis, raut. Hispanis, arruda: Gallis, rue. est herba hortensis vulgaris notitiæ, cuius foliorum est vsus.

S

SACCHARVM vocatur à Græcis, saccharon: Barbaris, zuccarū: Arabibus, suchar: Hispanis; azucar de canas: Gallis, dusucre. est succus, qui exprimitur ex calamis plantæ melicæ vulgari similis, qui sunt inanes, & alba farcti medulla; nascitur hæc planta in Arabia; India; insulis fortunatis canarijs appellatis, Italia, & Sicilia; qui succus expressus coquitur, ex qua coctione tria emergūt sacchari genera,

SVLIBENVM, *seu rubeum, seu flauũ cæteris impurius.*

CANDIDVM *seu candefactum, vulgò, candido, dictum, glaciei consimile colore, duritiæ, & friabilitate.*

ALBVM, *quod in metæ formam est redactum, vulgò zuccaro fino, dicitur. sacharum, quod à calamis Plantæ antiquitus sponte emanabat vocatur ab Arabibus, tabarzet; & à Græcis in suis in latinum translatis monumentis sal indus, & mel concretum arundinaceum. Sacchari tria tantùm arte confecta genera in officinis spectantut.*

SAFFIRVS *vocatur à Græcis, saphiros: latinis, sapphirus: Italis, saffiro. est gemma perlucida, & transparens colore cyaneo seu cæruleo admodum limpido saturata, quæ sole percussa igneum splendorem emittit, nec alicuius rei admittit delineationem seu imaginem.*

SAL *vocatur à Græcis, als: Arabibus, melec, & melaha: Italis, sale: Germanis, salz: Hispanis, sal. In salis genere, vt ex authorum scriptis colligitur, plures sunt differentiæ; spectatur nanque.*

SAL *gemme, quod in terræ visceribus in gemmæ morem concretum effoditur; quod est candidum, calculis vacans, densum, & vt gemma perspicuum.*

SAL MARINVM, *quod ab aqua maris*

ris

ris ope ignis extrahitur.

SAL *puteale vel fontium, quod ex aquis natura ſalſis puteorum ſeu fontium arte elicitur, & paratur.*

SAL *fluuiatile, quod ex fluuiorum aquis extrahitur quo noſtris temporibus caremus.*

SAL *lacuſtre, quod ex lacuum aquis ſalſis conſpicitur.*

SAL *armoniacum à pharmacopolis & ammoniacum à latinis nuncupatum, eſt illud, quod ſub arenis in cyrenaica regione in laminas concretum colligitur.*

SAL *alchali, quod ex decoctione herbæ Kali ſeu ſodæ conficitur.*

SAL *petræ, quod & nitrum dicitur, eſt puluiſculus albus & ſplendens in Petris proueniens, qui abſtergitur & abraditur ab ijſdem; qui quadam arte præparatus nitri nomen ſibi vindicat, quod trahitur in vſum potiſſimum pro conficiendo puluere tormentis bellicis apto.*

SAL *indum, apud arabes eſt ſal gemme; apud Græcos verò eſt ſaccharum ſponte in calamis ſaccha riferis concretum; in cuius locum candidum ſubrogatur.*

SALIS *ſpuma, eſt ſal albũ concretum & compactum, quod generatur, quando exor ta pro cella pelagus intumeſcit, & ſpuman tes aquæ in altum ſublatæ ſcopulorum cauitates replent, quæ poſtea rore & ſolis radijs æſtiuis in ſalẽ cõcreſcũt.*

SALIS

SALIS *flos, qui in aliquibus fluminibus, & potissimum nili defluit, & quibusdam innatat lacubus; est crocei coloris, odore ingrato, mordacior cæteris, & est cum pinguedine lentus hoc caremus. Sal noster communis depuratus subrogatur in defectu.*

SAMBVCVS *vocatur à græcis, akti: Arabibus, iasacti: Italis, sambuco: Germanis, holder & holler: Hispanis, sabugo & caninero: Gallis, suseau, & suyer. est herbuscula notissima, cuius ligni media cortex potissimum est in vsu Medicinæ.*

SANDALVS *vocatur ab Arabibus, sandal: latinis santalus: Italis, sandalo. est lignum arborum nascentium in syluis ingentissimis, & densissimis indiæ tam occidentalis quam orientalis; cuius tria in officinis spectantur genera, citrinum, album, & rubeum; santalus rubeus nullo commendatur odore, sapore, nec lanas inficit vti lignum quod Brasilio dicitur; reliqui duo sunt odorati, quorum pallidus seu citrinus ab Arabibus, Mazahari, nuncupatus, præfertur; præsertim si ponderosus, & cariem non persenserit.*

SANDARACHA *vide A. cap de Arsenico.*

SANGVIS *Draconis, duplex in officinis conspicitur, vnus, qui lachryma Draconis, alter verò sanguis Draconis, qui in orbiculos coactus*

est,

eſt, quoddam ex plurimis impoſturis miſcellaneum exiſtit; at lacbryma Draconis, eſt gumm arboris aphricę & indiæ occidentalis, colore ſanguinis pellucidum, leue, & fragile vocatum à Græcis kinnauari; latinis, cinnabaris; officinis; ſabguis Draconis, in lacbryma: Italis, ſangue di Drago, in lagbrima, Hiſpanis ſangue de Drago qui ſic cognominatur quia arbor à qua emanat gerit fructum Draconis formam referentem.

SALSA PERILIA, vocatur ab Hiſpanis, zarza parilla. eſt radix plantæ antiquis incognitæ ex India occidentali ad nos translata; præfertur nigricans & recens non carioſa, & cum frangitur non pulueruleuta.

SALVIA vocatur à Græcis, elelisphakos: Arabibus, Aelisfacos, ſeu eliſacos; Italis, Saluia: Germanis, ſalbey: Hiſpanis, ſaluia & ſalua: Gallis, ſaulgs. eſt herba fruticoſa hortenſis vulgaris notitiæ, cuius flores & folia vſui inſeruiunt Medicinę.

SARCOCOLLA vocatur à Græcis, ſarkokolla: Arabibus, anſarot, anazaron, ſeu auzurut: Italis, ſarcocolla: Hiſpanis, lancarotes: Gallis, ſarcocolle. eſt gũmi arboris in perſide naſcentis. Probatur ruſa ſeu alba, pollini ſeu pulueri thuris ſimilis, guſtuque amara.

SATVREA vocatur à Græcis, thymbra: Arabibus, ſabater, ſeu ſabatar: Italis, coniella, ſauoreggia, & peuerella: Placẽtinis, ſegrezuola:

latinis,

latinis: thymbra, cunila; & ſaturea: Germanis: Kunel, zuuibel hyſop; & ſaturex: Hiſpanis, ſegurelha: Gallis, ſauoreie, ſariette; & ſatrea. herba eſt Thymo ſimilis, ſed procerior, folijs latioribus & longioribus; fert ſpicam florum plenam coloris herbacei; & eſt duplex, domeſtica quippè & Syluestris; domeſtica in hortis: Syluestris verò in montibus incultis & aſperis, nec non in torrentium alueis conſpicitur foliorum eſt vſus.

SATYRION *vocatur à Græcis, ſatyrion Arabibus, giſialchaleb; chaſialtraleb, ſeu tatarich: latinis, ſatyrium: Italis, ſatirio & ſatirione: Germanis, ſtende, luurtz: Hiſpanis, ſatyrion & ſupinos de rapoſa: Gallis, ſatirion. eſt herba, quæ conſtat tribus folijs, qua de re ab aliquibus trifolium ſatyrium appellatur; ad terram infraɀɀa, rumici aut lilio ſimilia, ſed minora & rubra; caule cubitali nudo; flore lilij effigie candido radice bulboſa mali vel pomi magnitudine, fulua, intus, ut ouum, candida, guſtanti dulci, ori uon ingrata, cuius eſt vſus; quæ nondum vel rara viſa eſt in officinis; prouenit in agro bononienſi in monte Capprariæ; ex oriente Venetijs ad nos poteſt afferri induſtria mercatorum; in huius locum ſubſtitui poteſt radix palmæ Chriſti, vel tubera terræ, vel radix cynoſorchi ſeu teſticuli, canis.*

SAXIFRACIA *vocatur à Græcis, ſarxiphagon & ſarxiphragon: latinis, ſaxifraga: Italis:*

Italis , saſſifragia . eſt ſaxifragia dioſcoridis frutex ſurculoſus thymo ſimilis , & adeò ut niſi ob odorem poſſit vna planta ab altera diſcerni ; hæc planta non eſt in vſu nec in agro Placentino hactenus à me potuit reperiri ; in cuius locum ego ſubrogarem plantam quæ à recentioribus fuit nuncupata virga aurea quæ frequentiſſima naſcitur in agro Placentino in collium & montium incultis & aſperis ; quæ eſt herba fructicoſa conſtans caule rubente , bicubitali , læui , folijs oliuæ latioribus circum minutiſſimè ſerratis , in ſuperficie læuibus ; floribus in ſummitate caulium ſpicatis colore aureo , qui , vbi maturuerint , in pappos deſinunt ; ad Auguſti menſis finem vel Septembris initium perfecta cum flore ſpectatur ; tota planta præter radicem erit ex vſu . Verum quia hoc nomen ſaxifraga continet ſub ſe omnes plantas , quæ habent facultatem comminuendi calculos , poſſunt & aliæ in vſum trahi plantæ hac dote præditæ , vti ruta muraria ſeu capillus veneris niger Teophraſti , qui eſt Matthioli paronocchia ; anonidis radicis cortex ; cetrach ; trichomanes Dioſcoridis ; crithamnum (Placentinis , bacciglia) polygonum minimum Matthioli , & radix pimpinellæ hircinæ .

SCABIOSA *eſt herba recentiorum fruticoſa , quæ frequens naſcitur in campeſtribus ;*

vocatur à Placentinis, crauera, ex qua nostrates rustici scopas pro verrendis pauimentis conficiunt, ab aliquibus scabiosa minor dicitur ad differentiam maioris, quæ rara in agro Placentino spectatur.

SCAMONIVM est succus herbæ orientalis ab eius radice extractus, quę vocatur à Græcis, skammonia, Arabibus, schamunia; Italis, scamonea: succus verò vocatur à Gręcis, skammonion: quod, quando est præparatum in officinis diagridium nuncupatur. Laudatur scamonium læue, nitidum, rarum, taurocollæ seu Glutino taurino simillimum, fungosumque tenuibus fistulis; quo nos caremus; qua de re vsitatum tanquam adulterinum & noxium est proijciendum.

SCEBRA seu alsebra maior est radix pythiusæ, vide, E. cap. de Esula.

SECACVL; pastinacæ satiuæ vel syluestris radix supponatur.

SCEITARAGI. Nasturtium substituatur.

SCORDIVM vocatur à Gręcis, skordion: Arabibus, scordeon vel scordeum: Latinis, scordium & trissago palustris; Italis, scordio: Germanis, vuasser batenig, & Knoblochskraut: Hispanis, scordio: Gallis, chamaraz: est herba, quæ folia fert chamædrys sed maiora nec sic in ambitu diuisa, aliquantum

allium

allium redolentia, ſapore amaro & adſtringente prædita; quadrangulis caulibus & ſub rubro flore. Naſcitur in agro Placentino copioſum præſertim tranſpadum propè viam publicam in riguis & aquoſis non cultis.

SCROPHVLARIA, eſt herba fruticoſa à recentioribus tantùm ſuis monumentis figurata, quæ dicitur ab aliquibus millemorbia, Ferraria, & caſtrangula: folia fert vrticæ ſimilia, ſed latiora in cacumine anguſtiora & leuia; radici inititur humo (cuius eſt vſus) magnitudine mediocri, albæ, & vndique ſtrumoſæ prouenit frequens in agro Placentino in ſcorbium marginibus, riguis, & vliginoſis locis.

SEBESTEN vocantur à Græcis, myxæ, myxa, & myxaria; Arabibus; ſebeſten, motheica, mukieta, & mukaita: Latinis, myxa, myxaria, & ſebeſten: Gallis, Sebeſte. Sunt fructus arboris ſyriacæ & Aegyptiacæ pruno noſtræ ſimilis, ſed magnitudine minoris. Probantur ſebeſten recentes, prunorum vulgarium magnitudine in atrum vireſcentes, ſapore prædulci, lenta & tenaci pulpa; mucleis forma triangulari præditis.

SEDENEGI eſt lapis hæmatites. vide H. cap. de hæmatite lapide.

SEMEN ſanctum, eſt Abſinthij ſantonici ſemen, quod naſcitur in monte Gargano Apuliæ,

assurgit similis absinthio vulgari, sed folijs constat pusillis & minutissimis, ramulisque admodum copiosis & tenuibus, semen cuius est in vsu, habetur legitimum in officinis.

SEMPERVIVVM, vocatur à Græcis, aizoon, Latinis semperuiuum & sedum: Italis, semperuiuo, Germanis, grosz hausz vurtz: Hispanis, semperuiua el-y. erua puntera: Gallis, Ioubarbe. Est herba notissima; in multiplici differentia, maius quippe, minus, minimum; maioris est vsus.

SENA vocatur à Persis abalzamer nomine patrio; Græcis iunioribus sena & senna, Gallis sene; Germanis senet: Hispanis sen d'Alexandria Affricanis, Arabibus & Mauritanis sene, describitur inter medicos antiquos ab Actuario medico græco, Mesue Damasceno & Serapione Arabe est herba quæ constat folijs Glycyrrhizæ crassis, sub pinguibus, sed rotundioribus, fabarum sapore; caule cubitali, à quo exeunt flores aurei veluti Brassicæ purpureis intercursantibus venulis; quibus succedunt folliculi falcati, in quibus continetur semen e, nigro virescens. Ea senæ folia debent in officinis pro vsu asseruari, quæ ex Syria vel Alexandria Aegypti ad nos afferuntur; folliculi improbantur, quia cadunt arefacti semen nigrum & euanidum continentes, si ante maturitatem colligerentur crassi, pondero-

si, & succo pregnantes, & Tegetibus expansi in vmbra siccarentur, & tales ad nos importarentur folijs essent præstantiores.

SERAPINVM, vocatur à Græcis, sagapinon: Arabibus, sachabenigi, seu sechbinegi: Latinis, sagapenum: Italis, sagapeno: Pharmacopolis, pariter & Hispanis, serapino, Est succus plantæ ferulaceæ ex Media. Probatur translucens, colore fuluo foris, albo intus, inter laser & galbanum nescio quid redolens, in officinis adulterati vsus est frequentior; quanuis præstantissimum Venetijs possit haberi.

SERPILLVM vocatur à Græcis, erpylos: Arabibus, Hemen: Italis, serpollo, serpillo, & serpillio: Germanis, quendel & huer koel: Hispanis, serpollio & serpara: Gallis, serpoulet. Est herba, quæ serpit, ibique radices figit, vbi terram attingit, fert folia & ramos origani; sed folia sunt minora, & læuiora, & caules candidiores; odore maioranam imitatur. Duplex spectatur hortense & syluestre; foliorum syluestris est vsus.

SESAMVM vocatur à Græcis, sisamon: Arabibus, semsem, aut sensera: Italis, sesamo: Hispanis, Iorgilim, & allegria: Gallis, iugioline, est planta, quæ prouenit caule milio simili, crassiore tamen atque altiore; folijs rubentibus, flore viridi herbaceo, semine vasculis incluso papaueris modo, in Italia,

quod ego sciam, non seritur; ex Græcia, & Peloponneso ad nos conuehitur.

SEVVM bouis, & veruecis seu castrati est ex vsu.

SILER MONTANVM, vocatur à Græcis, seseli: Arabibus, sisalios, Latinis, seseli: Barbaris, siseleos: Italis, silaro & seseli: Germanis, steimbroch: Gallis, sermontain. Planta est similis fœniculo, cuius semen est oblongum angulosum, & acre, cuius est vsus.

SINAPIS vocatur à Græcis, sinapi, & napi: Arabibus, cardel aut chardel: Latinis, sinapis & sinapi: Italis, senape, & senapra, & senaura: Germanis, geel garten senff: Hispanis, Mostazza: Gallis, seneue: Sinapis planta est trium generum; illius, cuius semine officinæ vtuntur, caulis est cubitalis, hirsutus, ramosus, fronde rapi, minore & asperiore præditus, floribus luteis, siliquis rotundis & hirsutis semine rufescente refertis, seritur in aruis Placentinis, & colitur; semen cuius est vsus; præfertur externum quod albicat & est acrius.

SINONI seu sison est Amomum. vide. A. cap. de Amomo.

SMARAGDVS vocatur à Græcis, smaragdos: Italis, smiraldo: Hispanis, esmeralda pietra pretiosa: Gallis, vn esmerande.

est

est gemma lucida, transparens, & viridi colore saturata, adeò quod si supponatur lucernarum luminibus, color nullo pacto euanescat, imò superat & partem aeris superiorem viridi colore inficit.

SOLATRVM, vocatur à Græcis, strichnos kypeos, Arabibus, hamebatahanaleb, hamebalchabaich, seu hanab althaleb: Latinis, solanum hortense; Italis, solatro hortolano: Placentinis, herba morella: Germanis, nacht schadt: Hispanis, y erua mora: Gallis, morellæ. Est herba mulierculis cognita, exilis, pusilla, multis concaua alis, folio nigro, Ocimo simili, sed maiore & latiore, fructu rotundo viridi, qui post maturitatem nigricat, aut fuluescit, huius & foliorum est vsus.

SOLDANELLA vocatur à Græcis, Krambi thalassios. Latinis, Brassica marina: Italis, caule marina: Placentinis verza marina & soldanella: est herba quæ constat folio hederæ singulari & longo pediculo, gustu salsa, amara, & subacris. In littoribus Venetis, Aquileiensibus & Tergestinis copiosa nascitur.

SORBA vocantur à Græcis, Oya: Italis, sorbe: Germanis, sperbieron, speierling, soporoepffel: Hispanis, sorbas: Gallis, Cormiera. Fructus sunt vna cum Arbores à qua proueniunt notissimi; quorum est vsus.

SPARGVLA *Mesues, est Græcorum, Philanthropos. Latinorum, Aparine: italorum, Asperina: Placentinorum, isperonella & redusume. est herbula aspera ita vt tactu vestibus pertinaciter hæreat, rubeæ tinctorum syluestris consimilis.*

SPICA *vide. N. cap. de Nardo.*

SPODIVM *vocatur à Græcis, spodion, & spodos: Germanis, grauunicht: Italis, spodio: est excrementum, seu quoddam purgamentum nigricans, & ponderosum, quod euerritur à pauimentis officinarum Aerariarum aliquando paleis, & pilis refertum; hoc pro vnguentis parandis vsurpatur; pro pharmacis verò ebur vel cornu cerui supponitur.*

SPATVLA *fætida vocatur à Græcis, Xyris: Arabibus, casoras: Latinis, Xiris: Germanis, vuandtleusz: Hispanis, lirio spadanal: Gallis, glaieul sauuage. est herba fruticosa, quę fert folia iridis latiora & in cacumine mucronata, quorum medio caulis assurgit satis crassius & cubitalis, ex quo dependent siliquæ triangulares, in quibus est flos purpureus in medio puniceus: semen in folliculis simile fabis rotundum, rubrum, gustui non ingratum; radix subest longa, geniculata, & gustu acris. Hęc in agro Placentino non prouenit, sed ex hetruria petenda est; radix tantùm est ex vsu.*

SPON-

SPONGIA vocatur à Græcis, spongos: Italis, spogna: Placentinis, sponga: Hispanis, sponia, Gallis, esponge. est planta imperfecta marinis saxis inixa, quę in suis foraminibus continet quædam animalcula, ad quorum motum ipsa moueri videtur, qua de re aliqui decepti crediderunt hanc esse animal imperfectum; conspiciuntur etiam in ipsa calculi seu lapides, quorum vna cum spongia est vsus.

SQVILLA vocatur à Græcis, SKilla: Arabibus, haspel, haufel, aschil, seu alaschil: Latinis, scilla: Italis, scilla: Placentinis, & officinis, squilla: Germanis, Meer zuuiber: Hispanis, cebolla albatrana: Gallis, stipoulle charpentaire & oignon marin. est herba constans folijs Aloes, sed minus crassis, quæ ter in anno floret radice Bulbosa, squilla pharmacopolarum duplo maiori, & sapore acriori & amaro, In Hispania copiosa nascitur. squilla verò vsualis est planta, quę à Græcis vocatur panKration: Latinis, Pancratium. Huius folia sunt liliaceis similia, sed longiora: radix subest bulbosa, magna, subrufa, seu sub purpurea, gustu amara & feruens; scilla desiciente hæc subrogatur.

SQVINANTVM vocatur à Græcis, sKinos aromatiKos & schonuanthos: Arabibus, adeher: Latinis, iuncus odoratus: Italis, giunco odorato, & squinantho: Germanis,

nis, ramelſtro : Hiſpanis , paya de la mequa, ſeu paya de camelios : Gallis , paiſture de cameaulx . eſt herba fruticoſa peregrina ex Arabia , quę fert folia Iridis ſed anguſtiora breuiora & magis recta ; caules ſeu culmos binos , à quibus flores longis pediculis emicant exigui floribus gyacinthi orientalis ſimiles , ſed minores ; radici nititur ob longæ obliquæ , à qua multa prodeunt radicularum germina tenuia ; caules ſeu culmi ad nos tantùm deferuntur , qui ſi fuerint recentes manibus confricati reddunt roſæ odorem . Squinanthum nihil aliud ſignificat quam florem iunci odorati, cuius debet eſſe vſus in cuius defectu poteſt ſubrogari flos roſarum rubearum , flos hyacinthi orientalis , vel mali medicæ ſeu citrij .

STAFVSARIA, *vocatur à Græcis , ſtaphis agria & aſtaphis agria : Arabibus , habelras , muibazagi , ſeu miubezegi : Latinis , ſtaphis agria , herba pedicularis , vua ſylueſtris , & pituitaria : Italis , ſtaffuſaria : Placentinis , ſtraffuſa : Germanis , biſzmijntz : Hiſpanis , fabaram : papararam : Gallis , eſtaphiſagrie , & herbe aupoulx , eſt herba conſtans folijs labruſcæ diuiſis ; cauliculis , rectis , mollibus , & nigris ; flore glaſti (guado Placentinis) folliculis viridibus ciceri ſimilibus nucleum triangularem continentibus ſcabrum , ex nigro ſubfulueſcentem , intus album , guſtu acrem ;*

cu-

cuius est vsus. Frequens prouenit in Istria, Dalmatia, Apulia, & Calabria.

STICADOS vocatur à Græcis, stichas: Arabibus, astochodos, astuorodos, seu astuchudes: Latinis, stæchas: Italis, stechade: Germanis, stichas Kraut: Hispanis, cantuesso: Gallis, stechados. est herba constans tenuibus surculis, coma thymi, folio longiore, sapore sub amaro, & aliquantum acri. Coma habetur in officinis pro vsu. Prouenit copiosa in insulis stæchadibus (à quibus nomen) Galliæ.

STORAX vocatur à Græcis, styrax: Arabibus, meba, mehaba, seu astarach: Latinis, styrax: Italis, storace: Hispanis, estorque: officinis, storace calamita, est lachryma seu gummi arboris syriacæ malo cotoneæ similis. Probatur styrax flauus, resinosus, pinguis, gummis albicantibus, odore præstantissimus, & qui dum mollitur liquorem melleum reddit. styrax vero liquidus sic nuncupatus, cuius naturæ sit & à qua planta emanet adhuc nobis non constat.

SVLPHVR vocatur à Græcis, thion: Arabibus, cribrit, & rabric: Latinis, sulphur, & sulfur: Italis, solfo: Placentinis, solfre: Germanis, schuuebel, & lebendiger: Hispanis, piedra azufre, est succus pinguis in terræ visceribus concretus postea effosus; cuius

duo

duo in officinis genera spectantur, viuum seu sponte natum, & factitium: viuum est exterius colore subcinericio, interius verò fractum subluteo nitedulæ (Placentinis scornuzzola) modo splendens; factitium verò varijs constat coloribus, viridi, luteo, cinericio, & pallido.

SVMACH vocatur à Græcis, rhus. Arabibus, sumach, adurion, Rosbar sadisticos seu rhosaidicos: Latinis, rhus obsoniorum, Italis, somacho: Hispanis, sumach, & sumagre, est frutex, qui assurgit binum ferè cubitorum altitudine, folijs oblongis sub rubentibus in ambitu serratis, ilicis modo, acino vuarum gracilium denso magnitudine fructus terebinthi aliquantulum lato, sapore austero & adstringente, cuius est vsus, prouenit in asperis, petrosis, & incultis, uti in Apenino monte, & in montibus Bononiensibus vrbi proximis propè prædiolum Illustrissimorum palæotorum.

T

TALCHVS vocatur ab aliquibus terra stella, est res fossilis, in terrę visceribus generatur & effoditur, in substantia est squamosus, læuis, vt vitrum translucens, magnoque cum labore, & diutino igne

vix

vix poteſt comburi.

TAMARINDI, vocantur à Græcis, Ochiphæniκα, Arabibus, Latinis, Italis, & officinis, tamarindi. ſunt fructus plantarum peregrinarum, quæ proceritate caſtaneam æquant, folijs filicis fœminę in viridi palleſcentibus, guſtu acerbo, flore aurancij æmulo, fructu ſiliquæ, Placentinis Charoba, ſimili, quæ recens colore viridi, ſicca autem cinericio ſpectatur, intus infarcta medulla pingui, viſcida, & acida cum oſſiculis vt caſſia ſolutiua, referta. naſcuntur tamarindorum arbores in india orientali potiſſimum in malabar, probatur pulpa fructus, recens, mollis, farcta neruoſis quibuſdam villis, admodum acida, & ſaturato colore nigreſcens.

TAMARISCVS, vocatur à Græcis, myriκi, Arabibos, tarſa, ſeu carſa: Latinis, tamarix & myrica, Italis, tamarigio, Placentinis, tamariſo, Germanis, tameriſchen, Gallis, tamariſe. arbuſcula eſt, quę duplex ſpectatur ſylueſtris & domeſtica hæc in noſtris regionibus non prouenit, ſylueſtris frequens conſpicitur præſertim in agro Placentino in torrentium alueis fruticis potius quam arboris notas continens, eſt nanque humilis, folijs conſtans minutis, ſub aſperis, ſabinæ ſeu ericæ æmulis, floreque compage muſcoſo, qui demum in pappos euolat, nullum fructum gerit,

ſola

sola satiua & domestica fructum Gallæ similem profert, syluestris foliorum est vsus.

TERRA *lemnia, vide. B. de Bolo armeno.*

TERRA *armenia, vide idem cap.*

TERRA *samia, vocatur à Græcis, gisamia, Latinis, terra samia. quæ probatur, si candida, leuis, lenta, mollis, succosa, & friabilis extiterit.*

TERRA *sigillata, vocatur à Græcis, gisphragis, Arabibus, thim machtum, Italis, terra sigillata, Hispanis, tierra sellada, quæ probatur si impensè rufescat, & contactu non contaminet, & hæc lemnia terra poterit verè appellari.*

TERRA *stella est talchus. vide. T. cap. de Talcho.*

THAPSIA *vocatur à Græcis, thapsia, Arabibus, biantum & driz, est herba fruticosa ferulæ similis, caule graciliore, folijs fœniculi, vmbella anethi in cacumine à singulis surculis erumpente, flore luteo, semine quale ferulæ latiusculo, & aliquanto minore, radix subest foris nigra, intus candida, longa acris, & crasso cortice vestita: cuius est vsus. Prouenit copiosa in gargano monte Apuliae.*

TARAXACON *est cichorium syluestre, vide. C. de Cichorio.*

TAR-

TARTARVM, *vocatur à Græcis, trix: Arabibus, durdi, Latinis, fex vini, Italis, feccia de vino, Germanis, Heffen, & vueinstein, Hispanis, rasura de vino. Vini fex duplex conspicitur una quæ residet in fundo dolij, a Placentinis feccia di vino, nuncupata, altera, quæ est dolio circuncirca agglutinata crustæ lapidosæ instar, a pharmacopolis tartarum dicitur, Placentinis, grepola. tartarum est in duplici differentia vnum nanque ex vino albo, alterum ex rubro vel nigro concretum, vtraque debent esse in promptu in officinis, pro vsu.*

TAVROCOLLA *vocatur à Græcis, tauroKolla, Latinis, gluten taurinum, Italis, colla di curniccio ouer carnuzzo. Probatur gluten taurinum, quod est confectum ex bubulis corijs, candidum & translucens.*

TEREBINTHINA *vide. R. cap. de Resina.*

THLASPI *vocatur à Græcis, Thlaspi Arabibus, Harf, Germanis, bisen Kraut, Hispanis, paniquesò de flor blanquo, Gallis, seneue sauuage. est herba constans angustis folijs, digitali longitudine in terram versis, in extremitatibus incisis & sub pinguibus, caulem duorum dodrantum altitudine emittit; qui adnascentes sibi paucos habet ramulos, & per totum eius ambitum, fructus est in summo modicè latus, in*

quo

quo semen exiguum continetur nasturtio simile, disci figura ueluti conquassatum gustu acre post florem album, quod est in vsu. frequens nascitur in agro Placentino.

THYMBRA est saturea. vide. S. cap. saturea,

TIGNAME vocatur à Græcis, Narkaphton: Arabibus, Nabach seu lasabaten: Latinis, thymiama; Italis & officinis tigname. Est cortex seu lignum arboris Indicæ iucundum spirans odorem suffumigijs aptum.

THVS Vide. O. cap de Olibano.

THYMVS vocatur à Græcis, thymos: Arabibus, hasce: Italis, thimo: Placentinis, timolo & pensiero: Germanis, romischer quendel, & vuelscher quendel: Hispanis, tomilho salsero: Gallis, thym, seu Mariolaine d' Ingliterra. Est herbula fruticosa & surculosa, exilibus folijs gustu acerrimis angustis & multis circundata; capitulis in Cacumine floribus purpurascentibus refertis, tota planta benè redolet. Thymus satiuus spectatur in nonnullis hortis Placentinis, & in fictilibus à mulieribus:in hortis & super fenestris custoditur; Syluestris vero nascitur frequens in agro Genuensi potissimùm in Montibus di lesma vulgò nuncupatis.

TORMENTILLA vocatur græcè ab aliquibus, eptaphyllon: sed perperam, cum potius sit appellanda enneaphyllon: folium nanque eius

eius non septenis sed nouenarijs est diuisum incisuris, quinque folio simile, radice breui, nodosa, compacta, rubeo colore, & sapore adstringenti, à qua multa radicularum germina dependent; cuius est vsus; Germani hanc vocant Tormentill & Kotheil vurtz; ab antiquis suis in monumentis non fuit figurata.

TVRBITH *ab aliquibus Græcè vocatur alypon: Arabibus & præsertim à Mesue Turbith: Latinis, alypum seu alypia: est herba surculosa, subrubra, gracilibus ramulis, tenuibus folijs, flore molli, leui & copioso, radice Betæ tenui referta succo acri; Probatur radix si orientalis, Alba, resinosa seu pinguis, gustu salsa, subacris, & aspera, non cariosa. Sed iuxta sententiã Christophori acostæ Aphricani medici & Chirurgi, qui plantam turbith proprijs oculis inspexit, longè est diuersa à prædicta, constat nanq; folijs vt hederæ humisparsis, & figura foliorum Maluæ arborescentis à Placentinis, maluone, nuncupatæ caule digitali longitudine & crassitudine gustu insipido; cuius radix non parùm altè humo initur; quæ in vmbra siccata remanet sub nigra, sole verò albescit. Indi ex guzzarat prouincia, vbi hæc planta nascitur, nigra vtuntur tanquam efficaciore.*

TVTIA *vocatur à Græcis, pompholyx. Latinis, pompholix & bulla: Arabibus, thu-*

cia: Italis, tutia & pietra tutia: Germanis, vueisnicht. est recrementum, quod reperitur in fornacibus Ærarijs atq; Argentarijs. Probatur tutia candida, pinguis, & vsqueadeo leuis, vt facillimè in auras euolare atq; dissipari queat; vice huius Pharmacopolæ vtuntur Cadmia; legitima tutia habetur ex fornacibus metallorum tridentinis potissimùm.

V


ALERIANA vocatur à Græcis, phu; & agrianardos: Arabibus, fu: Latinis, phu, & Nardus Syluestris: Italis, valeriana mag giore: Germanis, grosz baldrion: Hispanis, herua benedicta: Gallis, valeriane. Est herba, quæ constat folio elepbabosci caule cubitali aut proceriore, læui, tenero, in medio cauo, purpurascente, geniculis; intersecto, floribus ad Narcissi flores accedentibus, maioribus, tenerioribus, in subalbido purpurascentibus; radice in superiori parte digiti minoris crassitudine, adnascentibus radiculis obliquis inuicem implicitis in ellebori nigri & iunci odorati modum subflauis, bene olentibus, gustu Nardum referentibus cum quadam virosa grauitate; quarum est vsus in officinis.

VERBASCVM vocatur à Græcis, phlomos:

phlomos: Italis, verbasco: Placentinis, tasso barbasso, & auedone: Germanis, vulkraut: Hispanis, verbasco: gallis, bouillon. Verbascum quo vtuntur officinæ est fæmina; quæ constat folijs Brassicæ, latioribus, pilosioribus, & candidis; caule albo cubitali, & aliquando ampliore & subhirsuto; floribus albis, aut ex luteo pallescentibus, quibus succedit semen nigrum; radix subest longa digitali crassitudine, & sapore acerbo. Foliorum & florum est vsus.

VERBENA vocatur à Græcis, iera votani & peristereon yptios. Latinis, herba sacra, sagminalis, verbena, & verbenaca supina: Placentinis, berbena & herba di Santo Giouanni: Germanis, piserkraut id est Ferraria. Est herba etiam mulierculis rusticanis cognita, quæ fert folia quercus ex interuallis, minora & angustiora eiusdem diuisuris, in ambitu colore aliquantum cæsio; flores spicatos, graciles, & purpureos; radix subest longa & tenuis; foliorum est vsus.

VERNIX vocatur à Græcis, Komi arkeuthidos: Arabibus, sandarax: Latinis, gummi iuniperi; Italis, gomma di ginepre: Placētinis, vernise per scrittori: Germanis, verns: Hispanis, verniz: Gallis, vernix: Vernix est in duplici differentia siccus & liquidus; siccus, quādo est recens, cādido colore splendescit, senescens efficitur rufus. Liquidus vero cuius est vsus pro pictori-

bus & ad nitorem ferri conciliandum conficitur ex lini ſeminis oleo & vernice ſicco. Aduertas quod vernix ſiccus eſt ſandaracha Arabum ;

VINCA PROVINCA, vocatur à Græcis : Klimatis daphnoidis*: Latinis, clematis, & vinca peruinca; Italis, clematide prima, & prouinca: Germanis, ſingrien: Hiſpanis, peruinca: Gallis, lyſeron. Eſt frutex ferens ſarmenta longa iunceæ craſſitudinis; folium exiguum lauro colore & figura ſimile, ſed multominus; florem hyacinthinum ſeu in purpuram cæruleum, inodorum, rotundum, folijs quinque ſed continuis diſtinctum, & ſerpit humi naſcitur in agro Placentino in ſepibus vbi ſolum eſt pingue & ſolaribus radijs expoſitum,*

VINCETOXICVM ab aliquibus vocatur Aſclepias, eſt herba à recentioribus tantum deſcripta, quæ fert ſolia hederæ ſimilia ſed longiora & acutiora in viridi nigricantia; caulem rotundum, leuem, tenuem, & ferè iunceum; in ſurculis à cauis alarum ortis flores prodeunt exigui, candidi, vel in albo palleſcentes & modicè odorati; ex quibus ſuccedunt corniculi oblongi ſemen paruum, rufum & latum continentes cum folijs anguſtioribus vt plurimùm binis, radices ſubſunt multæ, exiguæ, tenues, candidæ, & parum odoratæ, quarum eſt vſus. In Montibus & nemoribus

agri

agri Placentini frequens conſpicitur.

VIRGA paſtoris. C. cap. de corrigiola.

VISCVM Vocatur à græcis, ixos: Germanis, miſtel, oderaſſolter: Italis, viſchio. Herba eſt fruticoſa, lenta, ſemper virens, intus porracei coloris, foris ſubflaua; folijs Buxi Acinis exiguis, ſine flore; nunquam in terra naſcitur, ſed ſemper in arbore, vt quercu, ilice, pyro, pomo, pruno Sylueſtri, & terebintho; ex acinis huius plantæ conficitur viſcum, colliguntur nanq; acini immaturi tempore meſſiũ, ſiccantur, aridi tunduntur, conditi in aqua duodenis diebus macerantur donec putreſcant, poſtremò contunduntur & amiſsis corticibus lenteſcunt pro viſco vſui neceſſario.

VITRIOLVM vocatur à Græcis, chalkanthon: Arabibus, chalcantum; calcant, calcand, ſeu Alcalcadis: Latinis, chalcantum: & atramentum ſutorium: Italis, vetriolo: Placentinis, vidriolo: Germanis, Kupfer vuaſſer: Hiſpanis, cuparoſa: Gallis, coperoſe. Chalcantum eſt ſuccus in terræ viſceribus concretus à qua effoditur & hoc eſt naturale, vulgo copparoſa appellatum, quod eſt cæruleum, graue, translucens, & concretum; chalchantum factitium eſt illud, quo lanarum infectores vtuntur. Pro vſu medicinæ præfertur naturale.

VLMI LIQVOR, vocatur vlmus à Græcis, ptelea: Arabibus, didar, dirdar, ſeu

luzach: Italis, olmo: Placentinis, ormelo: Germanis, ylmen: Hispanis, vlmo: Gallis, orme. Est arbor notissima; quæ producit quosdam folliculos seu vescicas in quibus continetur liquor, qui colligitur ante festum Santi Ioannis Baptistæ Iunij mense, & seruatur pro vsu.

VRTICA *vocatur à Græcis, akalyphi: Arabibus, buniure, vraith latum, & angiara: Italis, ortica: Germanis: nessel: Hispanis, ortiga; Gallis, ortie. Herba est & cæcis notissima, quia tam noctu quam interdiu tangentes pungit; Huius semen asseruatur in officinis pro vsu.*

X



ILOBALSAMVM *est lignũ Balsami, quo caremus; in cuius locum Aloes lignum, vel cyperi radix oliuaris substituitur.*

XILOCASSIA *est cassia lignea, quæ corticem subtilissimum habet ad instar cinnamomi quo ad saporem & odorem, quæ est ita tenuis vt potius cutis quam cortex dici mereatur; Huic lignum subest crassum & copiosum, quod nullius est odoris & momenti; rarò habetur, in huius locum subrogatur cassia vulgaris:*

garis, secundum nonnullorum sententiam est legitimum cinnamomum, huius nanq; ligni cutis omnes prædicti notas obtinet, vt & ego sum expertus.

Z

ZEDOARIA est radix plantæ peregrinæ ex sinarum regione vltra extremas indiæ orientalis Oras ad nos euecta, de hac Arabes, in suis monumentis verba fecerunt sub nomine zeduar, & geduar, & zurumbet. facie refert gingiberis radicem, sed est, odoratior, amarior, & minus acris. Probatur recens non cariosa.

ZIBETTVM est liquor viscidus & pinguis summè odoratus, ita quod primo occursu odoris vehementia nares admodum feriat; concrescit sudoris in morem inter testiculos cuiusdam animalis Mustellæ maioris, quæ in veteribus ædificiorum ruinis habitat, consimilis, ab Italis vocatur gatto del zibetto.

ZINZIBER vocatur à Græcis, zingiuer, zingiueris, & gingiuer: Arabibus, lengibel seu zingibel: Latinis, zinziber & gingiber: Germanis, ingber: Hispanis, gengiure; Gallis, gigimbre. Est herba arabica & indica, cuius radix est in vsu; quæ probatur, si

fuerit candicans, odorata, acris, nec cariosa.


ZVCCARVM *vide. S. Saccharum.*

HACTENVS *compendiosè Simplicium Medicamentorum, quorum est vsus frequens apud pharmacopolas, nomina, naturam, bonitatis notas loca & substituta descripsi, reliquum esset antequam ad compositorum historiam deuenirem, eorumdem præparationes explicare, sed quia à quamplurimis in arte exercitatis & peritis hoc factitatum est, silentio inuoluam; Quatuor tantum notatu digna & vsui maximè necessaria proponam; quorum primum est vt Pharmacopolæ Plantarũ folia colligant quando flores erumpere incipiunt; earum vero, quæ florum sunt expertia, quando planta est adulta & perfecta; Secundum est, quod flores decerpantur virides, humiditate aliena, sordibusq; vacantes; perfectè, mediè, vel diminutè maturi iuxta qualitatem florum & vsus commoditatem. Tertium est, vt radices euellantur prima plantarum germinatione, vel saltem folijs quasi semi perfectis; quoniam tunc sunt succo pregnantes, & non, vt authumno, exhaustæ & quasi exsiccatæ succo in folia, flores, & semina dissipato; Magnæ & crassæ radices incisæ, ablutæ & purgatæ filo traiectæ sole primùm, mox in vmbra exsiccentur; graciles verò tantum in vmbra; quod & circa cortices est obseruandum; & ita omnia custo-*

diantur

diantur vt ab omnibus vindicentur iniurijs, quæ simplicium partes & facultates contaminare, infringere & corrumpere valeant, quod berbelle fiet si benè exsiccata & munda in vasis ligneis vel fictilibus vitro obductis custodiãtur. Quartum & vltimum est, quod gemmæ, lapides, & reliqua insigni duritie prædita redigantur in puluerem in mortarijs marmoreis non autem metallicis, ne ex his aliquid abradatur, quod simul mistum possit viscera humana lædere. Et quia Aquæ stillatitiæ à simplicibus medicamentis extractæ naturam & essentiam potius simplicem quam compositam, præseferunt, Nomina & numerum earum pro vsu necessarium deinceps subscribam idq; serie eadem, qua vsus sum superius.

A



QVA Acetosæ Agrimonij Arthemisiæ Auranciorum florum.

Betonicæ Borraginis.

Capillorum veneris Caudæ equinæ Cetrach Crescionum Cichorij Citrij florum Corrigiolæ.

Farfaræ Fæniculi Fumi terræ.

Lactucæ Lupulorum.

Maioranæ Melissæ Menthæ Milij solis foliorum.

Nenupharis florum alborum Nenupharis foliorum.

Parietariæ, Petroſelini foliorum. Plantaginis Portulacæ.

Roſarum communium florum.

R. rubearum florum.

R. damaſcenarum florum.

AQVA Saxifragiæ Scabioſæ Solatri.

Violarum puſillarum florum Vini albi optimi.

HAE *omnes eliciantur à Plantis perfectis, floribus maturis recentibus, & mundis, necnon & à reliquis medicamentis ſimplicibus synceris & electis, inſtrumentis vitreis in balneo, (quod vocant) Mariæ, hoc eſt in duplici vaſe Aquæ communis ope, idq́; ſummo cum ſtudio & diligentia; quæ ſic elicitæ ita recondantur, vt ab omnibus iniurijs liberæ & ſynceræ vſui medicinæ ſuis temporibus poſsint inſeruire.*





COMPENDIVM MEDICAMENTORVM COMPOSITIONEM, ET NVMERVM PRO VSV Medicinæ idoneum ſerie Alphabetica continens.

A



CETVM Squilliticum ſeu Scillinum. ℞ Scillæ laminarum inter primum corticem & cor ſeu corpus mediarum acu lignea filo traiectarum tanto interuallo ne ſe contangant lib. j. Siccabis in vmbra diebus quadraginta ſeu plus aut minus iuxta neceſſitatem, poſtea gladio ligneo inciſas in Aceti vini albi optimi potentis lib. viij. impoſitas radijs ſolaribus ſuppones; vaſcontinens ſit vitro obductum ſtricti orificij & benè obturati, his peractis percolabis pro vſu. Vel. ℞ Scillæ laminas recentes in aceto ab initio veris vſq; ad finem æſtatis ſoli ſuppoſitas, percolabis, & habebis Acetum ſcillinum optimum.

ALYPTA Moschata Nicholai.. ℞ ladani depurati vnc. iij. Styracis calamitæ vnc. ij. s. Ligni aloes drach. ij. Sãtalorum alborum drach. j. Ambari scrup. ij. Moschi. scrup. s.

AQVÆ rosaceæ. q. s. & cũ modico gummi Tragacanthæ fiant Trochisci

C

CONDITVM *Citoniorum symplex. Cydonia matura mundata foris à cortice, & intus à putamine & seminibus saccharo clarificato cocta & condita integra seruato. Item. ℞ Carnium cydoniorum lib. j. Mellis optimi. vnc. viij. Misce & bulliant lento & claro igne vsq; ad debitam mellis coctionem, quo peracto misce agitando cum spatula ad perfectam coctionem, quibus in fine addantur Mellis optimi crudi vnc. ij. Item cum sapa fiat conditum. Item. ℞ Carnium cydoniorum vapore calidæ aquæ dulcis coctorum vsq; ad spissitudinem, sacchari albissimi despumati & cocti ad debitam consistentiam an. lib. viij, Misce. Item pro condito composito. ℞ carnium cydoniorum coctarum in aqua lib. iij. Mellis optimi lib. iiij. s. cocquantur simul lento & claro igne, & ab igne depositis & nundum refrigeratis addantur infrascripta aromata in tenuissimum puluisculum prius redacta Cinnamomi vnc. j. s. zinziberis vnc. s. Galangæ, piperis*

peris albi an. drach. v. Caryophyllorum, Nucis moschatæ an. drac. iij. Ligni aloes, Acori an. drac. ij. Macis drach. j. miscellaneum istud extendatur in tabula Marmorea aqua rosacea prius aspersa, & refrigeratum gladio in frusta secetur. Item conditum cydoniorum ex mente Galeni. ℞ succi cydoniorum, mellis optimi an. lib. iij. vnc. iiij. Aceti vini albi optimi lib. ij. s. cocquantur modicè lento igne & spuma detracta, adde aromatum puluisculum sequens in fine coctionis. Piperis albi, vnc. ij. Zinziberis. vnc. iij. Misce optimè.

C. de corticibus citrij. Cortices mergantur in aquam menthæ permutando donec amaritudinis partem dimiserint, deinde sacchāro clarificato condiantur.

C. de zinzibere. Hoc nostris in regionibus nõ potest confici, quia radix sicca ad nos tantùm conuehitur; conditum ex viridi venetijs ad nos potest importari pro vsu.

C. Eryngij. ℞ radicum eryngij in frusta sectarum p. j. sacchari clarificati p. iij. cocquantur secundum artem.

C. Prunorum fiat ex pulpa prunorum damascenorum maturorum cum saccharo clarificato præuia coctione.

C. Corni paratur eodem modo; sed huiusmodi fructus sunt decerpendi, quando perfectam maturitatem nondum sunt consequuti.

C. Ama-

C. Amarenarum, fit consimiliter ex amarenis seu cerasis summè austeris.

Confectio Hamech. ℞ *Mirabolanorum citrinorum vnc. iiij. chebulorũ, indorũ an. vnc. ij: Rhabarbari electi, agarici troch: Turbith, polypodij an. drach. xviij. Foliorum senæ or. Thymi, absynthij an. vnc. j. Epithymi. vnc. ij. Florum rosarum rub. violarum garioffilorum, Iasimini an. drach. xv. Sem. anisorum, fœniculi an. drach. vj. Passularum or. vnc. vj. Prunorum damascenorum nu lx. Succi fumi terræ lib. j. Atterantur omnia deinde infundantur in idonea quantitate aquarum borraginis, endiuiæ, rosarum, fumi terræ an. q. s. Spatio quinque dierum præter pruna & passulas; facta infusione addantur & bulliant vnica ebullitione, postremo collentur, cui colaturæ addantur Pulpæ cassiæ solutiuæ vnc. iiij. Tamarindorũ. vnc. iij. Manna electi vnc. ij. Hæc omnia contrectari manibus multum debent deinceps colo traijci mox addenda succhari albissimi lib. j. s. mox cocquantur ad mellis consistentiam, quibus in fine addatur subsequens puluisculus. Mirabolanorum citrinorum chebulorum indorum an. vnc. s. Mirab. belliricorum, emblicorum Rhabarbari, Sem. fumi terræ an. drach. iij. sem. Anisorũ, acori an. drach. ij. misce pro electario.*

CERATVM *Barbarũ.* ℞ *Picis liiqudæ seu siccæ, cerę, resinæ pini, bituminis, an. li. j. Lithargyri*

drach. x.

dr.x. Cerussæ, æruginis æris an. drach. v. opopanacis drach.iij.olei, hieme, vnc.ix. Aestate vnc.vj. Quæ liquari possunt siccis in mortario plumbleo aceto acri leuigatis, assundantur & f. Cer. secundum artem.

Cer. Isis. ℞ *squamæ æris, æris semiusti Aristolochiæ rot. salis ammoniaci thuris, ammoniaci an. vnc. j. Aluminis squamosi. drach. vj. Myrrhæ, aloes, galbani an. vnc. j. s. Succi radicum dracunculi siue aron vnc. j. ceræ citrinæ lib. j. Colophoniæ lib. ij. Olei veteris oliuæ vnc. iij. Aceti. q. s. fiat ceratum. s. a.*

Cer. de Mucillaginibus. ℞ *mucillaginis sem. Althææ sem. fęnugręci, ol. de semine lini fęcis an. vnc. iij. Mucillaginis sem. lini vnc. vj. Lithargyri aurei vnc. vij. Bdellij, ammoniaci, opopanacis an. vnc. ij. Picis naualis, terebenthinę an. vn. iiij. Sepi castrati, olei de lilijs an. vn. iij. Styracis liquidę vnc. ij. Cerę recentis lib. ij. Fiat ceratum. s. A.*

Cer. de pelle arietina. ℞ *lithargyri au. opij Hęmatitis lapidis, lachrymę Draconis, boli armenij, Mastiches, ammoniaci, myrtillorum, galbani, thuris, lumbricorum terrestrium an. vnc. s. Picis, colophonię, cerę albę an. drach. j. rad. consolidę maioris vnc. j. Rosarum rubearum, Myrrhæ, aloes an. gr. xv. Nucum cupressi, aristolochiæ rotundæ gallarum. an. drach. vj. Visci quercini drach. iij. Sanguinis porcini seu*


humani

humani vnc. viij. fiat cer. s. A.

Cer. pro Rhenibus. ℞ Mastiches vnc. j. Ladani drach. vj. Ceræ vnc. s. Bistortæ, tormentillæ Nucum cupressi, hipocystis lachrymæ draconis, ros. rub. sumach, santalorum rub. coralliorum rub. sem. Coriandrorum boli armenij, myrtillorum alyptæ moschatæ an. dr. ij. olei omphacini seu ros. completi lib. iij. fiat ceratum. s. A.

Cer. de Betonica. ℞ pimpinellæ Syluestris, betonicæ saluiæ, calaminthæ, millefolij, Matris syluæ an. vnc. vj. rad. Consolidæ maioris lib. j. terebinthinæ, resinæ abietis, pini an. vnc. vj. Thuris, mastiches an. vnc. s. yreos, aristolochiæ rot. an. drach. vj. Gummi elemi vnc. ij. Ceræ albæ vnc. iiij. Vini albi odorati. q. s. pro infusione facta spatio dierum octo; deinde cocquantur lento igne donec partes duæ absumantur agitando semper cum spatula, postremò fiat ceratum.

D


IACODION. ℞ Capita papaueris nigri matura nu. x. Aquæ fontis lib. j. vnc. viij. Misce; macerentur ad biduum, si verò nimis sicca fuerint diutius, postea coquantur ad eorum dissolutionem, seu donec absumantur duæ aquæ partes, & cum sapæ,

mellis,

mellis, seu sacchari dimidio coquantur miscendo ad perfectam coctionem. Hoc pharmacopolæ habeant confectum & seorsum cum melle, cum sapa, & cum saccharo.

DIACATHOLICON. ℞ foliorum senæ or. pulpę cassię tamarindorum an. vnc.viij. Rhabarbari, polypodij, violarum glycyrrhizę an. vnc. j. s. Sacchari candidi, manna an. vnc.ij. Pulpæ sem.quatuor cō.fr ma.an.vnc.j.facto prius syrupo ex decoctione polypodij lib.j.sem. Anisorū vnc. iiij. Sacchari lib. viij. fiat electarium. s. a.

DIACVRCVMA seu Diacrocum. ℞ Croci, rhabarbari, meu, assari, spicæ nardi indicæ, sem. Petroselini dauci, carui, Anisi, an. dr. vj. Helenij seu enulæ, myrrhæ, cinnamomi, florum & foliorum roris marini rubeæ tinctorum, & succi absinthij olei nucis moschatæ, agrimonij an. drach. ij. Ligni aloes drach iij. Scordij, tamaricis, cetrach, succi glycyrrhizæ an. drach. ij. s. Gummi tragacanthæ drach. j. redigantur in puluisculum pro vsu.

Dianthos. ℞ folia roris marini incisa & modicè sub vmbra exsiccata, & horum. ℞ p. j. florum eiusdem recentium & viridium p. iij. cum saccharo albissimo fiat Conditum.

Diagarioffilatum. ℞ florum purpureorum Plantæ garioffili vnc.iiij. Sacchari albissimi lib. j. fiat conditum.

Diasaluia. ℞. florum saluiæ. q.s. cum saccha-

ro fiat conditum modo prædicto.

Diagalanga. ℞ Galangæ, ligni aloes an. dr. vj. caryophyllorum, macis, sem. petroselini an. dra. ij. Zinziberis piperis longi & albi, acori, cinnamomi an. drach. j. s. Calaminthæ, menthæ, cardamomi ma. spicæ indicæ, sem. seselis, fæniculi anisorum, carui an. drach. j. Redigantur in puluisculum pro vsu.

Diamargariton frigidum. ℞ sapphirorum, hyacinthorum, margaritarum, karabe, coralliorum rub. cornu cerui an. drach. ij. Rasuræ eboris, ossis cordis cerui serici crudi, corticum citrij & seminum, sem. papaueris albi, acetosę & portulacæ an. drach. iij. Gummi arabici, tragacanthæ rosarum rub. tormentillę glycyrrhizæ, ligni aloes santalorum omnium, sem. coriandrorum an. drach. vj. Redigantur in puluisculum, dimissis seminibus, quę debent addi vsus tempore ad vitandum rancorem.

Diatragacantha frigida. ℞ Gummi tragacanthę arabici an. vnc. ii. Amyli vnc. s. Glycyrrhicę, sem. melonum cucumeris, cucurbitę & angurię an. dra. ii. Sem. papaueris albi drach. iij. Sem. papaueris nigri scrup. j. Sem. vrticæ dr. ij. s. Penidiorum vnc. ij. s. Redigantur in puluerem præter sem. & penidia.

Diatragacantha calida. ℞ Gummi tragacanthę, hyssopi an. vnc. iiij. Cinnamomi vnc. s. Zinziberis, yreos an. drach. ij. Sem. Lini, fęnugreci, aniso-

anisorum an. drach. iij. Clycyrrhizę, succi eiusdem an. drach. ij. s. Pulpæ nucleorum pinorum, pistaciorum amygdalarum dulcium an. vnc. s. Redigantur in puluerem pręter fructus, succum, & semina, & seruentur pro vsu.

E



LECTARIVM *lenitiuum, seu diasena lenitiuum.* ℞ *passularum or. vnc. ij. Capillorum ven. florum & foliorum violarum, hordei cum cortice an. M. j. Iuiubarum, sebesten an. num. xx. Clycyrrhizę vnc. s. Prunorum, tamarindorum an. drach. vj. foliorum senę or. polypodij an. vnc. ij. Coquantur omnia in debita aquę fontis quantitate donec tertia pars fuerit absumpta, & facta forti omnium expressione & colatura dissoluantur Pulpę cassię solutiuę, manna tamarindorum, sacchari violacei, sacchari albiss. an. vnc. vj. Lento igne & claro agita ad debitam coctionem & consistentiam, postremò pro qualibet libra addantur sol. senę or. vnc. ij. misce optimè pro electario.*

Electarium ex soldanella. ℞ *fol. senę or. tartari vini albi yreos, polypodij quercini an. dr. iij Turbith vnc. s. rad. Esulę maioris drach. ij. Soldanellę vnc. j. Ligni aloes, cinnamomi caryophyllorum, zinziberis, acori an. drach. j. s. Mellis*

optimi despumati. q. s. & fiat electarium vel redigantur in puluerem vt supra pro vsu.

Emplastrum de Baccis lauri. ℞ *Thuris, mastiches, myrrhę an. vnc. j. Cyperi, helenij, seu enulę an. vnc. s. Baccarum lauri vnc. ij. Mellis. q. s. fiat emplastrum.*

Emplastrum ad pleurissim. ℞ *radicum Althææ M. j. Farinę hordei, sem. Lini an. vnc. ij. Florum camomillæ vnc. i. s. Florum meliloti vsua lis violarum, maluarum an. vnc. j. Radices purgatæ contundantur, misceantur, & bulliant simul vnica ebullitione & in fine addantur olei camomelini, violacei, amydalarum dul. de sem. Lini an. drach. iij. Misce pro emplastro. quod non debet parari nisi tempore vsus, quia corrumperetur.*

G

GALLIA *moschata.* ℞ *Ligni aloes drac. vj. Ambari drach. iij. Moschi drach. j. Glutinis facti ex tragacantha & aqua rosacea. q. s. & fiant troch.*

H

HYERA *Galeni.* ℞ *Cinnamomi, ligni aloes, assari, spicæ Indicæ, mastiches, croci an. drach. vj. Aloes epaticæ non lotæ vnc. xj. Redigantur in puluerem pro vsu.*

I

IVLEB rosaceum. ℞ Aquæ rosaceæ lib. iiij. Sacchari albiss. clarificati lib. ij. Misce & coquantur. s. A.

Iuleb violaceum. ℞ Aquæ florũ violarum lib. iiij. Sacch. clarificati lib. ij. Misce & coquantur. s. A.

M

MEL rosaceum cum folijs. ℞ Florum rosarum rub. nondum penitus apertarum lib. ij. Mellis optimi despumati lib. vj. Misce, & coquantur. s. A.

Mel rosaceum colatum. ℞ succi rosarũ rub. depurati mellis optimi an. q. s. M. et coquantur. s. a.

Mel violaceum solutiuum. ℞ infusionis violarum lib. vj. Mellis optimi lib. iiij. Misce, & coquantur. s. A.

O

OXIMEL ℞ Mellis optimi despumati lib. ij. Aceti vini albi acerrimi lib. j. Aquę fontis lib. iiij. Mel cum aqua despumetur, deinceps addito acceto coquantur. s. A

Oximel splenicum. ℞ Corticum radicum capparorum assari, yreos, cyperi, acori, spicæ Indicæ, caryophyllorum sem. Anisorum, erucæ, cimini, fœniculi, viticis an. vnc. j. Foliorum cetrach,

tamaricis, roris marini, rad. Petroselini Scillæ, an. vnc. ij. Ammoniaci. vnc. iij. Aceti vini albi acerrimi lib. xxiiij. Aquæ fontis. q. s. Dimissis ammoniaco & caryophyllis infundantur omnia incisa & contusa prius per diem & noctem; deinde coquantur donec tertia pars absumatur, deinceps facta omnium forti expressione addatur ammonicum cum aceto prius dissolutum, postremò cum mellis quantitate idonea coquantur ad debitam consistentiam; in fine addantur caryophylla in tenuissimum puluisculum redacta.

Oximel scillinum seu squilliticum. Mellis despumati lib. iiij. Aceti scillini lib. ij. Misce, & coquantur. s. A.

Oleum rosaceum. ℞ olei oliuæ optimi. lib. iiij. Rosarum rub. purgatarum vnc. xvj. Misce; supponantur radijs solaribus spatio dierum octo, deinde rosas exemptas fortiter exprime & alias recentes impone vt supra, & tertiò repete, postremò cola, & serua; si verò cupis hoc breui conficere, igne lento & claro, optimèq; obturato vase vtere.

Ol. ros. Omphacinum. ℞ olei oliuarum immaturarum lib. j. Rosarum rub. purgat. vnc. iiij. Misce, & fac vt supra.

Ol. ros. completum. ℞ ol. ex oliuis maturis aqua fontana loti quantum vis: cui adde folia rosarum rubearum modicè apertarum & purgatarum.

tarum. q. s. in vase vitreo & benè obturato soli supponantur spatio dierum octo; deinde coquantur tribus horis in vase duplici lento & claro igne, postea expressis fortiter folijs & abiectis noua imponantur, soli supponantur, coquantur, & exprimantur vt prius; tertiò noua immittantur, quibus addantur aquæ infusionis rosarum, (qua conficitur syruppus rosaceus solutiuus) quartam partem, deinceps soli supponantur spatio dierum quadraginta, posteà colentur prius facta forti expressione, & addito Rosarum succo iterum diu soli suppone.

Ol. de sem. Lini. ℞ sem. lini quantum vis, contundantur minutissimè & affusa modica aqua torrefiant in sartagine aliquantulum, postea prælo seu torculari fiat fortis expressio.

Ol. liliorum alborum. ℞ florum liliorum alborum cum stamine seu flosculo interiori Croceo quantum vis, incidantur & contundantur, ponantur in vas vitreum, addatur olei oliuæ. q. s. & sub sole vel loco calido macerentur dies quindecim, deinceps coquantur in duplici vase & abiectis floribus noui & recentes immittantur, & quindecim diebus macerentur; iterum similiter coquantur & exprimantur, vltimò noui & recentes flores iterum injiciantur, Macerentur vt supra, coquantur, & colentur pro vsu.

Ol. Anethinum, camæmelinum, de Keiri, fiant

vt liliaceum. ol violaceum. vt rosaceum. nenupharis albi. vt liliaceum amygdalarum dulcium. vt ol. de sem. lini nucis moschatæ. vt ol. de sem. lini.

Ol. de Ben. Ab vnguentarijs seu myropolis, vel Venetijs habetur venale.

Ol. de Chrisomilis. fit vt ol. de sem. Lini.

Ol. de Absinthio. ℞ Comæ absinthij vnc. iiij. ol. Omphacini lib. j. Inciso & contuso absinthio, misce & soli suppone ter mutando absinthium vt supra; exprime in fine colato & serua.

Ol. de Mandragora. ℞ ol. oliuæ maturi lib. ij. Succi pomorum mandragoræ vnc. iiij. Succi fol. hyosciami albi. vnc. ij. Succi fol. papaueris albi vnc. iij. Succi fol. papaueris nigri vnc. j. s. Succi fol. violarum, lactucæ an. vnc. ij. Opij, styracis calamitæ an. vnc. s. Succi cum oleo decem diebus macerentur sub sole vel in loco calido, deinde coquantur ad aquæ consumptionem.

Ol. de Ruta. fit vt liliaceum.

Ol. de Mentha. ℞ Menthæ vnc. iiii. ol. Omphacini lib. j. Misce in vase vitreo, quod supponatur radijs solaribus, & ter Mentha permuttetur vt supra.

Ol de Capparibus. ℞ Cort. rad. capparorum vnc. j. Sem. viticis drach. iii. Cyperi, rutæ, tamaricis an. drach. j. Cetrach drach. ii. Aceti albi vini albi potentis an. vnc. ii. Ol. oliuæ veteris

teris lib. j. Incidantur & contundantur mediocriter, misceantur, & macerentur, deinde coquantur ad vini & aceti consumptionem; vltimò colentur.

Ol. Myrtinum. ℞ ol. Omphacini, succi fol. Myrti odoratæ, Syluestris vel domesticæ an. q. s. Vini rubei subausteri odorati partem dimidiam; misce, macera, & coque ad succi viniq; consumptionem in duplici vase, deinde colentur; iterum atq; iterum idem repetatur imittendo succum recentem.

Ol. Mastichinum. ℞ ol. ros. omphacini lib. j. Mastiches vnc. iij. Vini rubei subausteri odorati vnc. iiij. Misce, & coque ad vini consumptionem.

Ol. de Scorpionibus. ℞ Scorpionum nu. xxx. ol. Amygdalarum amarum lib. ij. Incidantur, macerenturq; in vase vitreo stricti orificij & obturati diebus triginta canicularibus sub sole, deinde facta forti expressione colentur.

Ol. Spicatum ex spica Italica hortensi. Aqua stillatitia florũ lauendulæ maioris seu spicæ hortensis supponatur diu radijs solaribus, & oleum supernatabit, quod est colligendum pro vsu.

Ol. Spicatum indicum. ℞ spicæ nardi indicæ vnc. iij. Vini albi potentis aquæ fontis an. vnc. ij. s. Ol. veteris clarifs. Decoquantur in duplici vase ad vini & aquæ consumptionem, prius optimè macerata spica.

Ol.

Ol. Vulpinum. ℞ *Vulpem detracta pelle & euisceratam incide in particulas & coquatur in aquæ marinæ vel fontis salitæ. q. s. Ol. optimi lib. iiij salis albi depurati vnc. iij. misce, et coquas, inter coquendum addantur Anethi, Hyssopi, yuæ an. vnc. viij. bulliant quousq; caro recedat ab ossibus & absumatur aqua, postea colentur pro vsu.*

Ol. Hypericonis simplex. ℞. *comæ hypericonis cum floribus semiapertis quantumuis, olei oliuæ. q. s. & fiat vt liliacæum.*

Ol. Hypericonis compositum. ℞. *summitatum hypericonis cum floribus semiapertis vnc. iij. vini albi odorati potentis. q. s. pro infusione per tres dies fienda; deinde bulliant in duplici vase bene obturato, & colaturæ cum forti expressione addatur tantundem hypericonis, & sic maneat per triduum, postea addantur. Resinæ Terebinthi liquidæ vnc. iij. croci drach. j. misce, & in duplici uase coque usque ad vini consumptionem & facta expressione colentur pro vsu.*

Ol. Iasminum. fiat ex floribus Iasmini Hispaniensis vt violaceum.

Ol. Yrinum. ℞ *Iridis or. rad. lib. j. Florum nostratis Iridis lib. ij. Aquæ decoctionis eiusdem Iridis rad. q. s. olei oliuæ optimi. q. s. coquantur in duplici vase; flores recentes immittantur prioribus expressis & abiectis & tertiò repete; vltimò facta forti expressione colentur pro vsu.*

Ol.

Ol. *Laurinum.* ℞ *Baccarum seu granorum lauri maturorum & recentium. q. s. atterantur in pila, deinceps bulliant in. s. q. aquæ, postea exprimantur torculari plano non habente cauitatem & affundatur aqua calida & colligatur oleum supernatans.*

Ol. *de Tartaro.* ℞ *Tartari vini albi puri lib. iiij. Ponatur in testam & vratur donec exscandescat postea mittatur in sacculum laneum & in cella vinaria suspendatur, cui supponatur vas recipiens liquorem cadentem; & sic habebis oleum, quod potius aqua acerrima est nũcupandũ.*

Ol. *de floribus papaueris Syluestris.* ℞ *olei oliuæ quantum vis florum papaueris Syluestris. q. s. & fiat vt liliaceum.*

Ol. *lumbricorum terrestrium.* ℞. *vermium terræ seu intestinorum terræ lib. s. ol. oliuæ lib. ij. Vini albi potentis vnc. ij. Vermes lauentur prius vino, deinde misce, & bulliant ad vini consumptionem & facta forti expressione colentur pro vsu.*

Ol. *Sulphuris. ol. Vitrioli. Probantur, quæ fiunt in duplici vase cum organis vitreis.*

P

PILLVLÆ *de Agarico.* ℞ *Agarici troc. drach. iij. Iris, marrubij an. drach. j. Turbith. dr. vj. Specierum hyeræ gal. vnc. s. Colocynthidis, sarcocollæ an. drac. ij. Myrrhæ dr. j.*

cum

cum sapa fiat pastillus.

P. Aureæ ℞ *Aloes, colocynthidis an. dr. v. specierum hyeræ Gal. Croci an. drach. j. Sem. carui, anisorum, fæniculi an. drach. j. s. Rosarum rub. drach. iij. Rhabarbari scrup. iiij. Gummi tragacanthæ dissoluti in aqua Betonicæ modicum & fiat pastillus.*

Pillulæ aggregatiuæ. ℞ *Mirabolanorum citr. Rhabarbari an. vnc. s. Colocynthidis, turbith, aloes an. drach. vj. Polypodij, agarici trochisca- ti an. drach. iij. Mirabolanorum Keb. Ind succi Agrimonij, absinthij an. drach. ij. Mastiches, rosarum rub. salisgemme epithymi, thymi, sem. anisorum zinziberis an. drach. j. Cum melle ros. solutino fiat Pastillus.*

P. fætidæ. ℞ *Sagapeni, ammoniaci, opopanacis, bdellij sem. harmel, epithymi, thymi, aloes an. dra. v. Esulæ maioris, turbith an. vnc s. Colocynthidis vnc. j. Cinnamomi, caryophyllorum, croci, castorei, zinziberis an. drach. j. Dissoluantur gummi cum decoctione Nepetæ & fiat pastillus.*

P. de Iua. ℞ *Iuæ, betonicæ, stæcados, florũ roris marini an. drach. j. zinziberis, salisgemme, spicæ an. gr. x. Specierum hyeræ gal. vnc. s. Rhabarbari dr. iij. Turbith, colocynthidis an dr. j. s Cum melle ros. Solutiuo fiat pastillus.*

P. Lucis. ℞ *rosarum rub. violarum, absinthij, acori, cubebe, nucis moschatæ, spicæ, epi-*

thymi

thymi thymi, seselis, sem. rutæ, florum rorisma-rini, assari, mastiches, caryophyllorum, anisi, fę-niculi, & petroselini sem. Croci, macis, an. dr. ij. Colocynthidis, turbith an. vnc. s. Mirabolanorum omnium, agarici, Rhabarbari, senę or an. dr. vj. Euphragię vnc. j. Aloes pondus omnium. Cum syrupo de betonica & fœniculi succo fiat Pastillus.

Philonium Romanum. ℞ Croci drach. v. Pyrethri, euphorbij, spicę an. drach. j. Piperis albi, sem. hyosciami albi an. drach. xx. opij dra. x. Omnibus in puluerem redactis cum melle fiat electarium.

Puluis gersę serpentarię. ℞ radicum serpen-tarię, seu ari quantumuis, lauentur, munden-tur, & exsiccentur ad solem, redigantur in pul-uerem, cribrentur, postea inundantur in. s. q. aquę pluuialis & soli exponantur, repete hoc vsq; ad dies triginta aquam permuttando; vlti-mò exsiccetur pro vsu.

Pul. senę prẹparatus. ℞ fol. senę or. vnc. ij. Tartari vini albi vnc. s. Zinziberis, cinnamo-mi macis an. scrup. j. Redigantur in puluerem tenuissimum.

Pul. Cordialis pro cibo. subrogentur speties diamargaritonis frigidi.

S

S ACCARVM Rosaceū. ℞ florum rosarum rub. nondum perfectorum, recentium, purgatorum in mortario lapideo tritorum lib. j. Sacchari albissimi lib. ij. misce.

Saccharum violaceum. ℞ florum violarum purgatorum lib. j. Sacchari albissimi lib. ij. Misce vt supra.

Saccharum genistatum. ℞ florum genistarum purgatorum lib. j. Sacchari albissimi lib. ij. Misce vt supra.

SYRVPVS de quinque radicibus. ℞ rad. Pastinacę Syluestris, Rusci, asparagorum, petroselini, cort. rad. fęniculi an. vnc. ii. aquę lib. vi. misce; coquantur ad tertię partis consumptionem, & facta forti expressione colentur, cui addantur sacchari albissimi vnc. iii. & in fine aceti uini albi unc. viii.

Sy. de duabus radicibus. ℞. cort. rad. petroselini rad. fęniculi an. unc. iiii. aquę fontis. q. s. sacchari clarificati lib. ii. misce & coquantur. s. a.

Sy. Acetosus ℞. aquæ fontis lib. iiij. sacchari albissimi lib. v. misce, & coquantur in vase lapideo vel testaceo vitro obducto ad dimidias semper despumando, postea addantur aceti vini albi optimi lib. iij. fiat syrupus. s. A.

Sy. de

Sy. de acetositate Citrij. ℞. succi Citriorũ, seu malorum, quæ sunt mediæ naturæ inter citria & limonia a Placentinis Cemeghini nuncupata. lib. xij. coquatur in vase lapideo uel testaceo uitro obducto ad tertiæ partis consumptionem, deinde coletur, & quiescat donec clarescat, cuius depurati ℞. lib. vij iuleb depurati. lib. v. misce, & fiat sy. s. a.

Sy. de corticibus Citrij. ℞. cort. citrij recentis lib. i. grani tinctorum drach. ii. aquæ fontis lib. x. misce, & coquantur ad consumptionem duarum partium deinde colentur, cui colaturæ addantur. sacchari clarificati lib. ii. s. fiat syrupus, & in fine addatur Moschi gr. iiii.

Sy. de absinthio. ℞. Absinthii pontici lib. v. rosarum rub. vnc. ii. spicæ Indicę drach. iii. vini albi odorati succi citoniorum ana. lib. ii. s. misce, & macerentur horis xxiiii. deinde coquantur ad dimidias & factæ colaturæ addantur mellis optimi lib. ii. fiat syrupus. s. a.

Sy. ros. solutiuus. ℞. infusionis rosarum decies factæ lib. vi. sacchari albissimi lib. iiii. misce, fiat sy. s. a.

Sy. violaceus solutiuus. fiat vt syrupus prædictus.

Sy. de fumoterre solutiuus. fiat vtsupra.

Sy. de fumoterræ. ℞. succi fumiterræ cocti, depurati & colati lib. iii. sacchari albissimi lib. iiii. misce, & coquantur pro sy.

Sy. de

Sy. de succo endiuiæ ℞. succi endiuiæ cocti, depurati, & colati lib. viii. sacchari albissimi lib. v. s. misce, & coquantur pro sy.

Sy. de succo cichorii. fiat vt sy. de endiuia.

Sy. de succo agrimonii seu eupatorii, sy. de betonica, fiant vt sy. de endiuia.

Sy. iuiubinus. ℞. iuiubarum num. lx. florum violarum, sem. Maluæ an. drach. v. capilorum ven. Glycyrrhizæ hordei cum cortice ana. vnc. i. sem. Citoniorum, papaueris melonum, lactucæ ana. drach. iii. gummi tragacanthæ vnc. v. aquę fontis lib. iiii. sacchari albissimi lib. ii. macerentur, coquantur, & fiat syr.

Sy. de cichorio Guglielmi Placentini cum rhabarbaro. ℞. fol. cichorii M. i. fol. & florum Borraginis, florum violarum, battisecula, lactucæ, endiuiæ, acetosæ an. M. s. aquæ fontis lib. iii. coquantur ad tertias, & colaturæ addantur sacchari albissimi lib. ii. bulliant vnica ebullitione, deinde colentur, & ab igne remotis immitantur rhabarbari in puluerem redacti & linteo raro ligati vnc. ii. & sæpè in decoctione manu exprimatur donec syrupus sit perfectè coctus.

Sy. de prasio ℞. prasii vnc. ii. clycyrrhize vnc. i. cap. ven. hysopi an. drach. vi. calaminthæ, sem. anisorum rad. pastinacæ syluestris cort. rad. fæniculi an. drach. v. sem. maluæ, lini an. drach. iii. iris, sem. fænugræci, citoniorum an. drach. ii. passularum or. vnc. ii. caricarum pin-

guium

guium num. xvi. mellis optimi despumati, penidiorum an. lib. ii. aquæ fontis q. s. & fiat syrupus. s. a.

Sy. de stæcade. ℞. *stæcados drach. xxx. thymi, calaminthæ origani or. anisorum an. drach. x. passularum or. onc. iiii. aquæ fontis q. s. coquantur & colaturæ factæ addantur. Mellis optimi lib. iiii. s. deinceps addatur sequens puluisculus in petia adligatus & suspensus. cinnamomi, acori zinziberis, caryophyllorum an. drach. i. s. fiat sy. s. A.*

Sy. Cordialis. ℞ *Melissæ, endiuiæ, pimpinellæ an. M. j. Florum borraginis, garioffilorum violarum maiorum & min. Iasimini, citrij vel aurancij an. M s. Aquarum endiuiæ, borraginis acetosæ, rosarum melissæ: fumiterræ an. q. s. Succi aurranciorum, vini granatorum an. vnc iij. Sem. quatuor con. fr. ma. coralliorum rubeorum an. vnc. s. Sem. Acetosæ, ocimi, citriorum an. drac. s. Coquantur, & in decoctione suspendantur in petia linea ligata contusa & puluerizata semina cum corallio; postremò addatur, sacchari albissimi depurati. q. s. pro sy.*

Sy. de Rosis siccis. ℞ *Aquæ infusionis rosarum siccarum sacchari albissimi an. lib. v. Misce & fiat Sy.*

Sy. de succo limoniorum. ℞ *Acetositatis limoniorum lib. xij. Sacchari albissimi lib. v. misce, & fiat Sy. s. A.*

Sy. de lupulis, ℞ *Succi lupulorum depurati lib. iiij. Fumiterræ depurati lib. ij. Sacchari clarificati lib. vj. Misce, & coquantur pro Sy.*

Sy. de succo borraginis. ℞ *succi borraginis à tota planta extracti & depurati. lib. viij. Sacchari clarificati lib. iiij. Coquantur aliquantulum, deinde*. ℞ *Florum borraginis lib. j. Contundantur aliquãtulum & coquantur in s. q. aquę & colaturam prædictis affunde pro Sy.*

Sy. de succo acetosæ. ℞ *succi acetosæ depurati lib. iij. Sacchari clarificati lib. ij. Coquantur pro Sy.*

Sy. Myrtinus compositus. ℞ *Myrtillorum drach. xx. Santalorum rub. sumach balaustbiorum, ribes an. drach. xv. Nespilorum dr. L. Aquæ fontis lib. viij. Coquantur ad dimidium & colaturæ addantur. Succi citoniorum vini granatorum an. vnc. vj. Sacchari albissimi clarificati lib. iij. fiat Sy. s. A.*

T

TROCHISCI *de capparibus*. ℞ *cort. rad. capparorum sem. viticis an. drach. vj. Sem. nigellæ, acori calaminthes, amygdalarum amararum sem. Nasturtij ammoniaci, rutæ, cyperi, aristolochiæ rot. cetrach. an. drach. ij. Redigantur in tenuissimum*

pollinem

pollinem, & cum ammoniaco in aceto dissoluto fiant Trochisci.

Troch. de eupatorio. ℞ *Manna, succi agrimonij an. vnc. j. Rosarum rub. vnc. s. Spicæ indicæ drach. iij. Rhabarbari, acori, assari, anisi an. drach. ij. Rasuræ eboris drach. iij. s. Cum succo agrimonij fiant Trochisci.*

Troch. de violis sine scammonio. ℞ *fol. violarum mediorum inter humidum & siccum; florum violarum recentium an. drach. vj. Turbith drach. vj. Succi glycyrrhizæ drach. iij. Manna vnc. s. fiant trochisci. s. A.*

Troch. de karabe. ℞ Karabe *drach. vj. Cornu cerui, gommi arabici tragacanthę, acacię, laccę, Mastiches, hipocystidis, balausthiorum Sem. papaueris nigri assatorum an. drach. ij. Thuris, croci an. drach. j. s. Opij scrup. ij. Cum omphacio & mucillagine psylij fiant trochischi.*

Troch. de Myrrha. ℞ *Myrrhę drach. iij. Lupinorum drach. v. Rutę, menthastri, dictamni cretici, rubeę tinctorum, cimini, sagapeni assę fętidę, opopanacis an. drach ij. Succi artemisię. q. s. & fiant trochisci.*

Troch. de Agarico. ℞ *Agarici vnc. j. s. Zinziberis scrup iiij. Salis gemme drach. iij. Cum oximelle fiant trochischi.*

V

VNGVENTVM *Apostolorum.* ℞ *Aristolochię, thuris, bdellij an. drach. vi. Myrrbę, galbani an. vnc. s. Opopanacis, floris ęris an. drach. ij. Lithargiri vnc. j. Ammoniaci, terebenthinę vulgaris, resinę terebenthi cerę albę an. vnc. j. drach. vj. olei oliuę optimi (ęstate) lib. ij. (Hieme) lib. iij. Aceti albi. q. s. pro dissolutione ammoniaci, bdellij, & galbani; & fiat. s. A.*

Vng. de Cerussa crudum. ℞ Cerussę aqua ros. lotę vnc. xviij. Lithargyri argenti loti vnc. j. s. Olei ros. lib. ij. s. Cerę albissimę vnc. vj. fiat vng. s. A.

Vng. de Cerussa coctum. ℞ Olei oliuę optimi lib. ij. Cerussę tenuis lib. j. Coquantur simul lento igne, & in fine addantur cerę albę vnc. iiij.

Vng. de Calce. ℞ Calcis viuę quinq; vicibus aqua fontis ablutę, deinceps quinq; alijs aqua ros. lotę, quantum vis, olei ros. completi. q. s. pro consistentia linimēti Agitatis addatur Cerę albę. q. s. pro vng.

Vng. Comitissæ. cort. medię castanearum, cort. glandium, cort. quercus vel ilicis, cupularū glandium, myrtillorum, caudę equinę, cort. fabarum, acinorum vuę labruscę, sorbarum immaturarum

Nespi-

Nespilorum immaturorum, fol. prunorum Syluestrium; rad. Chelidonij maioris an. vnc. j. s. Atterantur mediocriter & bulliant in aquæ plantaginis lib. viij. Ad dimidium postea percola, quo decocto nouies repetito & renouato cum oleo et cera lotis olei myrtini compositi lib. vj Ceræ recentis lib j. Fiat vng. addatur in fine pulvisculus rerum infrascripturarum Cort. mediæ castanearum cort glandium, cupularum glandiũ Cort. quercus seu ilicis, gallarum an. vnc. ij. Myrtillorum, acinorum vuæ labruscæ, sorbarum immaturarum exsiccatarum an. vnc. j. Troch. de Karabe vnc. viij.

Vng. Dialthææ. ℞ rad. Althææ lib. ij. sem. Lini, fænugreci an. lib. j. Scillæ, seu squillæ rec. vnc. vj. Resinæ pini, laricis, an. vnc. vij. Olei oliuæ maturi lib. iiij. Gummi hederæ vnc. ij. Cerę lib. j. Rad. & sem. contusa macerentur in s. q. aquę tribus diebus, & deinde coquantur donec mucillago crassescat cuius. ℞ lib. ij. Cui addantur reliqua pro vng.

Vng. ad ignis combustionem. ℞ cort. medię sambuci vnc. ij. Olei nucum, ol. florum papaueris Syluestris an. vnc. iiij. Cortex bulliat in. s. q. aquęad duarum partium consumptionem, deinde colaturę addantur olea & bulliant simul donec decoctio tota fuerit absumpta, postremò addãtur, cerę recentis vnc. ij.

Vng. infrigidans gal. ℞ Cerę albissimę de-

puratę lib. j. Olei ros. Omphacini lib. iiij. Liquefiant simul, & lauentur cum aqua ros. sępè donec albescant, & in fine cum modico aceti vini albi agitentur.

Vng. de Minio. ℞ Minij lib. j. s. Olei ros. lib. j. Misce, & bulliant vsq; ad coctionem, & consistentiam Vng.

Vng. Pectorale. ℞ adipis Gallinę, anseris, anatis, butiri an. vnc. vj. Olei camęmelini, liliorum, amydalarum dulcium. an vnc. ij. Cerę recentis vnc. iiij. Fiat vng. quod non debet asseruari paratum, sed sat est vsus necessitate, quia rancesceret.

Vng. de Plumbo. ℞ Plumbi vsti, lithargyri auri an. vnc. ij. Cerussæ, antimonij an. vnc. j. Ol. ros. ceræ modicum fiat vng. s. A.

Vng. Palmeum seu diapalma. ℞ Olei veteris, lithargyri aur. an. lib. iij. Axungiæ depuratæ lib. ij. Chalcitidis. vnc. iiij. Liquefiant oleum & axungia, quibus addantur reliqua in puluerem redacta, & coquantur semper agitando cum tribus palmæ ramis, vel radicibus harundinis, & si presto erit palmæ ramus hunc minutim incidere expediet & immittere bulliendo vsq; ad coctionem debitam pro vng. Aduertant pharmacopolæ, quod si loco chalcitidis vitriolum seu calcanthum vstum accipiant, quod ante maneat in aqua plãtaginis in mersum spatio Diei.

Vng. Rosaceum mes. ℞ Axungiæ porcinę

recentis quantũuis, lauetur in aqua calida nouies, & tantumdem cum frigida lotione vltima, deinde teratur cum ea Rosarum rubearum ęquum pondus, macerentur spatio dierum septem, coquantur, & facta forti expressione percolentur, & rursus tantumdem ros. rub. teratur & dimittatur per dies septem deinceps addantur succi rosarum pars dimidia ol. amygdalarũ dul. part. vj. Coquantur ad succi consumptionem.

Vng. Santalinum. ℞ rosarum rub. drac. xij. Santalorum rub. vnc. ij. Santalorum citr. vnc. s. Boli armenij dr. vj. Eboris vnc. s. Succi semperuiui, plantaginis an. drach. ij. Suc. solatri, cichorij an. drach. iij. Ol. ros. completi lib. j. Macis drac. s. Cerę albissimę vnc. iiij. Abluatur cera cum aqua ros. & in fine addatur Macis.

Vng. staffusarię. ℞ Axungię porcinę, ol. de sem. Lini an. vnc. iij. Sem. staphisagrię vnc. iiij. Saponis mollis vnc. vj. Sem. in tenuissimum puluerem redigantur deinde fiat linimentum. s. A.

Vng. stomachale gal. ℞ ros. rub. Absinthij Mastiches an. vnc. ij. s. Spicę drach x. Ol. ros. omphacini lib. j. s. Ceræ recentis vnc. iiij. Oleum & cera simul dissoluantur, & pluribus vicibus cum aqua ros. lauentur, postremò cum reliquis in puluerem redactis vino rubeo austero adorato veteri, cydoniorum succo, & aceti vini nigri modico fiat vng.

Vng. de Tutia. ℞ Cerussæ lotę vnc. iiij. Plum

bi vsti, Pompholigis an. vnc. ij. Thuris vnc. j. Succi fructus solatri maturi vnc. viij. Ol. ros. Omphacini vnc. x. Cerę albę vnc. v. Fiat vng. s. A.

Vng. prosplene. ℞ *Olei de capparibus lib. iij. Medullæ crurum iuuanci lib. j. Axungię porcinę lib. s. Succi Brionię, panis porcini suc. fol. ebuli an. lib. j. Misce & bulliãt lento igne ad succorum consumptionem & colaturæ cum forti expressione factæ addantur. Cinnamomi vnc. j. Cetrach, tamaricis, sem. viticis, cort. rad. capparorum an. vnc. iij. Pulpæ ben. lib. s. Ammoniaci in aceto vini albi dissoluti vnc. ij. Pinguedinis vrsi. vnc. iij. Ceræ recentis vnc. viij. Redactis in puluisculum redigendis, fiat vng.*

His quam breuissimè perstrictis & vt potui enarratis huic de Medicamentis compositis tractatui extremam manum imponam; hoc tantum addens, quod Medicamenta extrinseca sunt in vsum trahenda donec primum & proprium odorem seruauerint, quæ verò intrò in corpus assumuntur donec primum & proprium odorem & saporem custodierint. Animaduertendo, quod opiata sunt asseruanda cum chirographo tempus & ætatem compositionis indicante, quia horum iuxta ętates vsus & dosis variant; omnia tutentur à maximo ęstu et frigore, reliquisq; iniurijs, quæ possint non solùm vires eorum dissipare & corrumpere, verum etiam vitiare; ad quæ mala

euitanda opere precium erit, vt sæpè ac sæpius à Pharmacopolis visitentur & tractentur; quorum munus postulat, vt publicæ vtilitati sedulò vacent; quod si præstauerint fœlicem in terris & Cælis Beatam viuent vitam; quod det eis (supplex rogo) Deus Opt. Max. Cui semper sit honor & gloria.





DE VNICORNE.

DE VNICORNIS CELEBERRIMI Quadrupedis Historia antehac à nemine ita diffusè, lucidè, & fideliter exarata; cuius occasione omnia cornigera nominatim recensentur & nonnulla scitu digna, iucunda & vtilia enarrantur de Natura Orygis, Bisontis; Asini Indici, Rhinocerotis; Equi Indici; Bruti, quod vulgari sermone dicitur la gran Bestia, aut Il grande animale; & Rangiferi quadrupedis septentrionalis vtilissimi & admirabilis animalis tricornis.



ATVRA rerum omnium Parens sagax & prouida non abundat in superfluis, nec deficit in necessarijs, sed omnia attingẽs à fine vsq; ad finẽ fortiter, et suauiter disponit; cuius veritatis exemplum nunc mihi liceat à Brutis desumere, quæ composita, munita, & ornata fuerunt membris varijs, pulchris, præclaris, necessarijs, & vtilibus; inter quæ cornua huic nostro proposito inseruientia se se offerunt, quæ inter ossis

sis & vnguis naturam & essentiam media, necessitatis, vtilitatis, & decoris gratia nonnullis Brutis & præsertim Bisulcis sunt tradita; ob necessitatem quippè, vt excrementum terreum, crassum atq; adustum, quo scatent, non solùm in ossa & vngues secederet, sed etiam in cornua pro horum ortu, alimento, & augumento; propter deinceps vtilitatem, vt vim inferre & repellere valerent; quorum aliquibus si contingat ob magnitudinem excedentem vel figuram cornibus vti non posse, aliam ad opem à Natura sibipsis præstitam confugiunt, vti ad cursum, more Cerui, Hippelaphi & Rangiferi; vel ad excrementum aliquod infestum, vt Bonasus, qui profusione excrementi valdè fœtidi hostes, & venatores arcet & depellit; ob Decorem etiam cornua Bruta sunt adepta; nam quanta cum admiratione & animi solatio ob horum pulchritudinem, multiplices figuras, magnitudinem, numerum, & situm inuitant, trahunt, & cogunt nos ad attentam inspectionem Cornigera hisce munita & ornata? qualia sunt, Aries; Asinus indicus; Bison; Bonasus; Bos; Bubalus; Camelopardalis; Camphurc; Caprea; Capra; Capreolus; Ceruus; Ceruicapra, Ceuas, Dama, Drocas, Hippelaphus, Hircus, Hippardium, Ibex, Oryx, Rhinoceros, Rangifer, Tarandus, & Vnicornis, seu Monoceros, quo (præsertim inter vnicornia) nullum est Illustrius præstantiusq; animal, magisq; memoriæ

humanæ

humanæ gratum & fixum ; Huic vnicornis nomen proprium est condonatum, reliquis verò singulari cornu armatis animantibus tanquam epithetum; qua distinctione non præhabita multi fuerè decepti credentes non animalis singularis hoc nomen existere, sed omnibus vnico cornu præditis esse commune ; quos toto (vt in adagio est) aberrare cœlo constat ; Historici nanq; distinctis capitibus de Vnicorne seu Monoceroto suis monumentis verba fecerunt, attribuentes huic naturæ dotes ab alijs vno cornu insignitis longè diuersas ; vti Plinius Historiæ naturalis lib. 8. cap. 21. Solinus cap. 15. Albertus magnus lib. de animalibus. 22. litera M. sub monocerotis nomine ; necnon et Aelianus romanus in suis de historia Animalium monumentis lib. 16. cap. 20. Quorum mentem antequam aperiamus lucidioris Doctrinæ gratia prius brutorum Vnicornium ab Vnicorne vero longè distantium nomina, naturam, mores, vsus, & facultates enarrabimus ; inter quæ primum se offert quadrupes, quod vocatur.

ORYX, *& Orynx, à Græcis Oryx & Orynx à recentioribus græcis Aegagrokeros; Barbaris, Egoceros ; Italis, Orige. est Brutum syluestre, quod effigie & corporis proceritate capram æmulatur, & est vnico inter vtramque aurem cornu ad caput modicè inflexo armatum, Bisulcum ; & contrario pilo ad caput verso vestitum; nascitur tantùm in locis calidis vti in Africa &*

Asia,

Asia, perpetuò sitit, & tamen (quod est dictu mirum) sitis remedia incolis affert; in eius nanq; corporis visceribus vesicæ liquore quodam plenæ & saluberrimo reperiuntur, quo latrones per Desertorum loca vagantes pro siti extinguenda summa cum voluptate & vtilitate potiuntur; visus aciei robore adeò pollet, quod citra læsionem oculis inconniuentibus solis inspicit radios; ad quẽ in primo exortu conuersus aluum deijcit, propter quod facinus Ægypti Orygem despiciunt; Caniculæ stellæ ortum nouit & suo sternutamento testatur, & ac si Numen apparuisse senserit ado rabundus procumbit fixisq; oculis contuetur; Æthiopes, qui silli nuncupantur, cum struthiophagis bella gerentes Orygum Cornibus pro armis vtuntur. Oryx visus fuit à Martiale poeta suorum Cæsarum tempestate Domitiani quippè et Traiani in suis ludis, quod testatur lib. 3. C. 95.

Matutinarum non vltima præda Ferarum
Sæuus Oryx: constat quod mihi morte Canum.

Iuuenalis etiam dum nimium sui temporis viuendi luxum carpit suorum carminum satyra vndecima de Oryge verba facit.

Et scythicæ volucres, & Phænicopterus ingens,
Et Getulus Oryx hebeti lautissima ferro
Cæditur, & tota sonat vlmea cæna suburra.

Nec Petri Berchorij in suo dictionario uera est sententia, qui iudicat iuuenalẽ hisce carminibus loqui de Oryce aue ex Gallinarũ Numidicarũ vel Afri-

Africanarum genere, à nullo nanque historico siue nouo siue antiquo oryx suis monumentis auem vel aliud animal præter prædictum significans proditur; & hæc de oryge sufficiant, ad Bisontisq; historiam nostra conuertatur oratio.

BISON seu Bisons vocatus à Græcis vison; Italis, bisonte; est animal syluestre Hercyniæ syluæ Incola, cuius figuram Iulius Cæsar suis in commentarijs descriptam posteris reliquit; Ceruo, inquit, Bison est similis sed procerior, vnico inter vtranque aurem Cornu recto, magno, & excelso armatus, cuius summitas in duas sicut rami palmæ partes latas diuiditur atque diffunditur; Iudicant recentiores historici hoc animal non amplius in illis regionibus nec alibi conspici; nec vnquam fuisse visum vel descriptum à quoquam authore, & ob hoc huius naturam, mores, vsus & facultates ignoramus; Paulus Diaconus in suis historijs posteritatis memoriæ mandauit, quod huius bestiæ corium est adeò vastum vt in eo quindecim viri vnus post alium cubare valeant. Est & tertium vnicorne brutum, quod vocatur à latinis.

ASINVS Indicus, à Græcis, Onos indikos. Animal quadrupes equo par magnitudine, capite purpureo, oculis nigris, cornu singulari in fronte, cuius pars superior punicea, media nigra, inferior alba spectatur, reliquo corporis pilo candescit; inter cornigera hoc ha-

bet

bet peculiare, quod est solipes, & talum foris & intus nigrum, felq; in iecore habet, quibus reliqua solipeda carent; Morsu adeò valet, vt quicquid comprehenderit penitus & vndequaq; laceret & diripiat; calcibus etiam fortiter ferit & pugnat; ita vt equitem aggredi non timeat, cuius equum suo incursu lacerat, viscera disrumpit, & trucidat, & nonnunquam in pugna & ipse mortuus decumbit; cursus pernicitate non tantùm Onagros verùm etiam equos & Elephantes antecellit, cuius cursum sequi est difficile, transcurrere verò impossibile; Fœmina post partum in locis Indiæ solitariis & asperis commoratur; & Mas summo cum studio recentes pullos amat et custodit, procurans vt à tergo pascantur, quò facilius Animalia infensa arcere et depellere valeat de cuius sedulo amore & custodia Dauid loquitur Psalmo vigesimo octauo versiculo sexto. Dilectus (inquit) quemadmodum filius vnicornium. Indi heroes ex Cornu armillas ad Brachiorum ornatum sibi fabricant, Calicesque potorios auro sibi concinnant, quibus bibentes authumant se à peste, venenis, Epilepsiaque tutos reddi atque præseruari, certa tamen experientia didicerunt, quod veneno affectus, statim vt illis liquorem bibit, vomitu illud reiicit & pristinæ sanitati restituitur. Quartum verò vnicorne animal vocatum à Latinis.

RHINOCEROS, Rhinoceron, Naricornis,

cornis, & Taurus Naricornis apud Pausaniam; à Græcis, RinoKeros; Indis, Gandas; est quadrupes Syluestre, quod longitudine corporis & pellis colore est Elephanti simile breuioribus constans cruribus; Tauri magnitudine, tergore scutulato et duro; capite suillo præsertim quò ad rictũ: gemino Cornu, vno in fronte pusillo & inualido, altero in Nare mobili binum palmorum longitudine, Nigro, in summitate recuruo, acuto, robustissimo, & durissimo ita vt ferri duritiem æquet; Strabo libro decimo suorũ Geographicorum commentariorum duas addit notas, quod videlicet duo habet cingula tanquam Draconum volumina à dorso vsque ad ventrem circumeuntia, alterum Iubam versum, alterum ad lumbum. Habitat potissimum in Africa inter Bonæ spei, & id quod correntes dicitur promontoriũ; Rhinocerotes fert etiam regio Æthiopiæ ab vna parte Diræ, ab altera Austri cornui, à tertia Elephantis Monti in mare rubrum exposito, huius oræ vltimo promontorio, contermina: nec non & Iaua minor Insula orientalis indica. Rhinoceros orta ob pascua rixa cornu prius saxis limato Elephantem aggreditur & crura subiens aluũ, quæ est pars Elephantis mollior, cornu cuspidato perforat, lacerat, & discerpit, ortaque magna sanguinis effusione Elephas moritur, at si Rhinoceroto Elephantem perdere alia preoccupata parte non licuerit, tunc miser, quamuis pellis sua

tanta polleat firmitate vt vix iaculo acutissimo possit penetrari, elephantinis attamen dentibus (seu Cornibus secundum Pausaniam) crassis, longis, & acutissimis rapitur, trucidatur, & distrahitur. Quantum Rhinoceros fortitudine polleat ex sacris literis discimus à Dauid propheta regio Psal. 21. versi. 22. Salua me ex ore Leonis & à Cornibus vnicornium humilitatem meam. Ex Iob etiam historia cap. 39. Nunquid volet Rhinoceros seruire tibi? Nunquid alligabis Rhinocerota ad arandum loro tuo? & Numeri cap. 23. Cuius fortitudo est similis Rhinocerotis. Minora attamen Animalia nisi lacescitus non lædit. Pompei magni ludi Romæ primò ostenderũt; deinde Augusti apud septa, solebat nanq; magnus hic Princeps etiam citra spectaculorum dies, si quando quid invsitatum dignumque cognitu aduectum esset animal id extra ordinem quolibet loco publicare, vt Rhinocerotum apud septa, Tigrim in scęna, Anguem quinquagintorum cubitorum pro Comitio; post hæc Domitianus frequenter Rhinocerotum ludis spectandum exhibuit, vti testantur Martialis Carmina in Cæsaris Amphiteatrum composita Cap. 9.

Præstitit exhibitus tota tibi, Cæsar, arena,
Quę non promisit prælia Rhinoceros,
O, quam terribiles exarsit pronus in iras?
Quantus erat Cornu, cui pila Taurus erat.

Et Inferius cap. 22. dum recenset pugnam Rhinocerotis

nocerotis contra vrsum habitam.

Sollicitant pauidi dum Rhinocerota magistri,
Seque diu magnæ colligit ira Feræ,
Desperabantur promissi prælia Martis,
Sed tamen is rediijt cognitus ante furor,
Nanq; graue gemino Cornu sic extulit vrsũ,
Iactat vt impositas Taurus in Astra pilas.

Ex his patefit Rhinocerotis fortitudo, Iræ suæ tarditas, nec non contra multorum opinionem hunc esse duobus Cornibus armatum, quam notam Iulius Cæsar scaliger in suis de rerum subtilitate exercitationibus confirmat, refert nanque se proprijs oculis Cadauer Rhinocerotis è naufragio in Thyrrenum litus eiectum diligenter inspexisse, huic etiã subscribit Pausanias. Possunt tamen Authores inter se conciliari, nam qui scribunt Rhinocerotẽ esse singulari cornu præditum innuere volunt alterum Cornu tanquam pusillum & infirmum pro Nihilo haberi, qui verò asserunt hunc gemino cornu esse præditum figuram eius adamussim insinuare volunt. Albertus magnus lib. 22. de Animalibus de Rhinocerote sub nomine Vnicornis mentionem facit, scribit nanque hoc animal virgines puellas venerari ipsisque visis mansuescere, soporari, & capi, quæ nota verè elephanto ab historicis attribuitur, & ab aliquibus Monoceroto, sed perperam, vt infra dicam. Cornu Rhinocerotis tanquam præstantissimum Aduersus venena Antidotum à multis commendatur, potissimum

inter recentiores historicos ab ægregio Medico lusitano D. Zarzia ab horto in suis de historia simplicium orientalium libris. Quintum animal quadrupes vnicorne vocatum à latinis.

Bos Indicus, à Græcis, vus indicos, est animal Syluestre solipes (nota ab Aristotele soli Asino indico attributa) reliquis verò Boui simile, Indiæ tantum Incola, Cursus velocitate plurimum præstat. Scribunt historici Cornu huius animalis quod vnicum fronte gerit Ptolomeo secundo fuisse dono datum, quod tres amphoras capiebat, cuius notæ argumento animalis magnitudinem possumus conijcere. Sextum Animal vnicorne vocatum à Latinis.

Eqvvs Indicus, à Grecis, ippos indicos, est Animal Syluestre quod præter cornu singulare, quo est in media fronte armatum; repræsentat Equum domesticum, huius figuram nostræ tēpestatis pictores suis delineationibus expressam pro vnicorne, sed perperàm, ostendunt; ex huius cornu Indi poculum conficiunt, quod est aduersus venena adeò efficax, vt liquor in ipso contentus quamuis fuerit veneno vitiatus noxam bibenti ferre nequeat. His de historia Vnicornium antiquis scriptoribus cognitorum prælibatis, ordo à me propositus postulat, vt Vnicornis veri, cui hoc nomen proprium est condonatum, nomina, naturam, mores, & facultates depromam, quibus ennarratis dilucide fideliterque hanc veritatem

colli-

colligemus. Hoc Animal reperiri in terris vel ſaltem conſpectum fuiſſe à priſcis.

V NICORNIS *vocatus à Græcis, monokeros: Italis, vnicorne, alicorne, & lioncorne: Indis, cartozono. Eſt animal quadrupes Syl-ueſtre, quod proceritate ſui corporis ad perfectæ ætatis Equum accedit, Capite ceruino, ſingulari cornu inter ſupercilia armato, nigro, recto; verſuris quibuſdam diſtincto ſplendore mirifico, in acutiſſimum, fortiſſimum, & inexpugnabilem mucronem deſinente, binum cubitorum longitudine: Iuba equina, pilis totius corporis vt leo fuluis, cruribus hirſutis, pedibus Elephantis, & Cauda apri. Naſcitur ſolùm in intimis Indiæ orientalis montibus Gangi fluuio finitimis et ferè inacceſſis, vbi degunt animantia, quæ apud nos ſunt domeſtica vt Homines, equi, ſues, canes, oues, capræ, feles, Boues, & conſimilia. Vnicornis pedum bonitate, curſus pernicitate, & agilitate equum antecellit, eſt atrociſſimus, mugitu horridus, maximoque pollet robore, aliјs beſtiјs ad ſe accedentibus mitem ſe, gregalibus verò iratum et ſæuiſſimum exhibet; nec tantùm in pugna marem ſibi comparem aggreditur, ſed etiam fæminam, quorum alterna inuaſio protrahitur vſq; ad alterius necem; per ſolitudines ſolus vagatur; tempore coitus dum ſtimulis agitatur Veneris miteſcit & gregalis euadit; cum fæmina nanq; tunc verſatur & blanditur donec vtero geſſerit; po-*

stea rursus in pristinam redit feritatem, & solitarius per aspera inculta & inaccessa errat; tanta est huius fortitudo, agilitas, & cursus velocitas, vt capi à nemine possit; nec famæ, quæ per multorum ora volat nullius historici antiqui innixæ testimonio (præter vnũ Isidorum lib. 12. Etymol. cap. 2.) fides est præstanda; quod, inquam, à puella virgine capiatur vt dixi de Rhinocerote quod Ælianus attribuit Elephanto; nec valet pictorum antiquorum argumentum, quod hunc in puellæ gremio iacentem suis iconibus expressum ostenderint; mulier nanq; illa (ex mea sententia) venerem priscorum deam significabat, quæ sola robur vnicornis & feritatem temperat & superat, nã dum Venus illi dominatur mitescit & gregalis fit vti dictum est. Pulli eius adhuc teneri & imbecilles capiuntur, quos venatores ad prasciorum regem illius, in quo degit vnicornis, regionis dominum afferunt, quos nutrit donec ad integram & perfectam ætatem peruenerint; quos postea certis diebus pro admodum sibi grato & iucundo spectaculo ad pugnam committit, de hoc Rege solinus suæ historiæ cap. 65. scribit, quod eius vrbs regia, quæ maxima est, palibotra nuncupatur; Eumq; octo millia Elephantos alere, sexcentisq; millibus peditibus, & triginta millibus equitibus stipendium quotidianum exhibere, subditosque ab vrbe palibotros vocari. Monoceros igitur est vnius tantùm loci incola, naturali & violentæ

lentæ morti valdè obnoxius, cuius etiam posteritas humanis subiacet insidijs; quibus de causis nō est mirum si à paucis visus & cognitus fuerit; & vereor ne tempestate nostra non amplius conspiciatur vti de Bijonte Cæsaris recensent Historici. Quæ commoda homini præstet nullus ex historicis senioribus, suis prodidit monumentis; authumāt aliqui Philostratū Philosophum Lemniū in suis de Apollonij Tyanei vita libris posteritatis memoriæ mandasse Cornu vnicornis esse aduersus venena valdè efficax, sed decipiuntur, quia hāc dotem Cornui Asini Indici attribuit, vti colligitur tertio suæ historiæ volumine; crediderim tamen vnicornis cornu hac eadem pollere facultate, tum quia talis est communis sententia, tum etiā quia hac virtute reliquorum vnicornium Cornua sunt prædita, quæ in omnibus ab vnicorne superantur, qua de re per excellentiam vnicornis nomine proprio, & non per epitheton fuit nuncupatus, & potissimum ob cornus præstantiā, quā Dauid testatur Psalmo 90. versiculo 10. Exaltabitur (inquit) sicut vnicornis cornu meum; præterea nonne est omnium (præsertim singulari cornu armatorum) quadrupedum Illustrium compendium? Capite Ceruum, Iuba & corporis magnitudine equum refert, pilorum colore & fortitudine Leonem; pedibus Elephantem; crurum hirsutia & feritate vrsum, cauda Aprum, cornu omnia cornigera & præcipuè vno cornu prædita;

dita; quæ oĩa pulchritudine, robore, curſusq; velocitate hic antecellit, iuremerito itaq; huius cornui condonari debet facultas non tantum aduerſus venena ſed etiam Peſtem & male morigeratos morbos; quod autem huiuſcemodi Cornus pars veneno vel rei veneno vitiatæ admota ſeu propinqua ſudorem emittat, vt aliqui nullius hiſtorici teſtimonio fido nixi authumant, non poſſum affirmare, nec audeo refellere; poſſumus tamen cum veritate concludere dari vnicornem ſeu Monocerotem à reliquis Brutis vno cornu armatis diſtinctum & diuerſum, cuius Hiſtoria vti nec Rhinocerotis ab Ariſtotele non fuit enarrata ſed tantum ab hiſtoricis à me præſcriptis; nec mirum, nã vnus vir non poteſt omnia ſcire, vel forte horũ hiſtoria ab ipſo compoſita ad noſtras manus temporum iniuria non peruenit, præſertim cum Plinius octauo ſuæ naturalis hiſtoriæ libro cap. 16. Scriptum reliquerit; Philoſophum Alexãdri magni ſumptibus quinquaginta de Animalibus volumina confeciſſe. Ex hac de Vnicornis hiſtoria colligitur, multos fruſtra gloriari, quod eius cornus ramenta poſſideant; res equidem (vt opinor) Summis Pontificibus, Imperatoribus, et Regibus vix conceſſa; inſuper, quis tot cornuum animaliũ partes poteſt niſi per manus fideles traditas diſcernere? Cornua integra cum difficultate & ſolùm à peritis, qui ſingula nouerint & tractauerint, dignoſci poſſunt. Hæc ſufficiant de vnicorne

ne

ne & reliquis ſingulari cornu munitis Animantibus, quorum in antiquorum hiſtoricorum monumentis facta eſt mentio, reliquum eſt ob affinitatem vnius Bruti vnicornis à recentioribus cogniti & ad viuum expreſſi delineationes, naturam, mores, & vſus notem; vti legitur apud Theuetum hiſtoricum Tomo primo, libro ſecundo, & capite quinto ſuæ hiſtoriæ.

CAMPHVRC animal quadrupes in vna Inſularum Molucarum naſcitur, & ſpectatur; quod Corporis proceritate Ceruam æquat, ſingulari cornu in fronte armatum, mobili ferè vt criſta Pauonis, Galli à nobis (ſed perperam) Indici vocati, trium pedum cum dimidio longitudine, & Bracchij humani craſſitudine, ceruice pilo coloris cinericij obueſtita, pedibus anterioribus ceruinis, poſterioribus Anſerinis, quibus in aquis ſalſis et dulcibus in Fibri morem ad nandum vtitur, vt ſibi ex piſcibus eſcam cõparet, eſt Animal ex Amphibiorum genere, partim nanque in terris, partim in aquis degit. Rex inſulæ huius nomine inſigniri & vocari cupit & geſtit: nam ſicut nos Chriſtifideles noſtris infantibus Illuſtrium ſanctorum nomina ad imitationem & protectionem indimus, ita Inſularum Indicarum Reges Ferarum, Piſcium, aut Fructuum tota regione ſua clariſſimorum nomina ſibi adoptant. Cornu camphurc apud inſulæ accolas magni fit propter facultatẽ, qua aduerſus venena pollet. His de vnicornibus

bus enarratis vt promissa persoluam, Animalis Vulgò la gran bestia, & grande Animale vocati, nec non & Rangiferi Bruti historiam subtexere cogor; sed antequam nomina Magnæ bestiæ ab authoribus antiquis & recentioribus cõdonata recenseam, quæ multa & diuersa existunt, prius Effigiem eius, Mores, Vsus, & facultates exarabo.

ANIMAL, quod apud multos Magnæ Bestiæ nomen sortitum est, corporis Altitudine Equũ quanuis altissimum excedit, Nouem nanq; palmorum, vt ego sum proprijs manibus metitus, altitudine adolescit; pilo promisso colore fuluescente: Capite ceruino at longiore; binis cornibus parùm supra oculis armato; quæ sunt ramosa, dexterum est sex incisuris sinistrum verò quinq; partitò diuisum extrinsecus, ut quercus foliũ: sunt lata ambo vt videantur Auium alæ valdè extensæ, pondere duodecim librarum ad Plus, solida & in Cerui morem decidua; labijs crassis, superiore prominentiore ita vt retrocedendo pasci cogatur; Rictu oblongo; Dentibus quantitate mediocribus; Auribus longis et latis, Collo ceruino, arunco propè trachæę arteriæ orificium adnato; humeris posterioribus aliquantulum depressioribus; Vnguibus bifidis mucronatis, nigrisque; in cuius Tibiarum fine posteriori parte vnguicula rotunda & oblonga spectatur, quæ potius calcar quam vnguem refert: Cauda lata breuissima; primo aspectu (excepta altitudine) Ceruum repræsentat. Fœmina cum

mare

mare conuenit, præterquam in Cornibus, his nanque est destituta. Crediderim hoc animal magnæ Bestiæ nomenclaturam fuisse adeptum ob insignem eius Altitudinem: Degit potissimùm in Regionibus Aquilonaribus in Sarmatia Scythiæ & in Suetiæ regno: est Animal Ceruorum instar gregale, in vastis nanque solitudinibus gregatim vagatur. In itinere vnum tanquam Dux præcedit, & subsequentia pedem in prioris vestigia figunt, ita vt vnum non plura id confecisse iter videatur. Hæ bestiæ insidijs telorum à Venatoribus extensorum occiduntur, vel maximorum Canum inuasione in rupium antra truduntur à quibus rarò viuæ exeunt. Lupi montani ferocissimi fame laborantes, cum sæuit hiemes, agminatim ad congelatos lacus, vbi hæc animalia multo cum comitatu degunt, properant, quò fit vt sæua vtrinque pugna committatur, qua Lupi robore & armis inferiores cornibus & vnguibus trucidantur vel in fugam vertuntur; ex qua Victoria Venatores conflictus horum obseruatores Luporum pelles lucrãtur, quæ pulchritudine & valore pro vestimentis admodum commendantur: commorantur super glacie crassa & durissima ne pondere mergantur, & vt Lupi lubricitate glaciei dilabantur & concidant pro faciliori prȩda: quod ipsi effugiunt periculum, quia Vnguibus mucronatis pedibus glaciei pertinaciter fixi adhærent, in quibus maxima pro interimendis hostibus vis

consistit

consistit: nec mirum est si magna hæc Bestia à Germanis vocetur Hellend, quod apud latinos miseriam significat, nam, quanuis à Natura fuerit multis & ægregijs dotibus ornata, tamen quam plurimis vitæ periculis est obnoxia, torquetur nanq; morbo Epileptico; venatorum insidijs trucidatur, & sæpè stans seu quiescens à mustella animalculo sylvestre in guttur insiliente & mordente ex nimio sanguinis profluuio moritur, est etiam valdè timida, nam ex longo interuallo hominem olfactu præsentiens fugam quam ocyssimè arripit, paruo quouis vulnere affecta vt plurimum obit, quinimò statim viso proprio sanguine mortua vel semianimis concidit, & recens capta cornibus calcibusvè non ferit, neq; tenenti resistit sed tantum fugam tentat. Bellicis tormentis Bombardis quippè seu Scorpionibus persæpè à rusticis hę bestię trucidantur, prędamque ad Sueciæ regem important, quarum caro recens comeditur vel sale condita pro obsonio asseruatur, Harum pulli venatorum arte capti ita successiuè mansuescunt & domestici euadunt vt naturali vrgente siti maxima ceruisię vasa à discumbentibus porrecta exinnaniant, Hi, qui habitant ad Aquilonē vltra Holmensem vrbem regiam his bestijs mansuefactis pro Curuum ductu vtuntur, in regione verò ad meridiem spectante, quamuis harum in vastis & multis nemoribus & syluis degentium plurima detur copia, tamen ob Re-

gium

gium edictum ad domesticos vsus non trahuntur, ne hisce ob cursum velocissimum, quo admo-dum pollent, proditores vtantur ad reuelanda quancitissimè hostibus regni secreta; singula nanque harum per diem naturalem ducentorum milliariorum italicorum spatium cursu perficit, neque hoc temporis interuallo laboris, famis, sitis uè incommoda per sentit. Quando accessione Epileptica corripitur admoto auri pede posteriore dextero conualescit; hac de re nonnullis ab hinc annis Principes Pruthenì experientia edocti ramenta vnguium atque etiam Cornuum pro curatione Epilepsiæ commendarunt, & presertim vnguem dexteram pedis posterioris, modo à decima quinta mensis Augusti vsq; ad octauam septembris diem potissimum in die festi santi Aegydij Abbatis, euellatur, quò non solùm vi naturali, sed diuina tam validum morbum debellare & destruere valeat, nec ab re hęc omnia obseruantur, nam tali anni temperię & tēpore Magna Bestia calore natiuo & humorum copia est prędita, venerisque illecebris agitatur, quo fit vt calor vnà cum humoribus ex ebullitione diffundatur & ad extrema defluat, & sic maiori pręstient facultate; diem verò obseruant sancti Aegydij Abbatis non tantum ratione pr ędicta, sed etiam vt comitiali morbo à demone sępius excitato (ut legitur in Euangelicis literis de illo lunatico à D. N. IESV

CHRI-

CHRISTO persanato) valeant occurrere; Obseruant nonnulli etiam prædictas conditiones in Cornuum Ceruorum auulsione, quæ aduersus venena & puerorum vermes postea summopere extollunt, credentes hæc Monocerotis cornus facultatem æquare; Sueci & Prutheni vnguem magnæ bestiæ non ipsius Cornua pro curandis Epilepticis, vertiginosis, hystericis, & cordis affectionibus multum commendant; ad quæ præstanda non tantum laudant vnguem exteriorem pedis dexteri posterioris prædictis conditionibus euulsum, sed & ceterorū pedum vngues, inter quos primum locum obtinet prædictus, secundum pedis sinistri posterioris, tertium pedis dexteri anterioris, quartum & vltimum pedis anterioris sinistri vnguis; nec refert à viua Bellua vel mortua euellantur, modo non fuerit morbis vexata vel senio admodum exsiccata & confecta. Quicunq; igitur à prædictis ægritudinibus & præsertim ab Epilepsia se præcauere voluerit, annulum aureū cum vngue ita concinnet, vt caro digiti annularis ab vngue tangatur, vel ex vngue totus annulus conficiatur; seu portiuncula cordi vicina & collo suspensa ita vt cutim attingat deferatur. Pro curatione si æger epileptico paroxismo vexatus, annulum præparatum digito annulari manus sinistræ infixum habuerit statim euadit, vel ramentum vnguis eius sinistræ manui in pugnum complicatæ inseratur, vel eodem ramento auris sinistræ

pars

pars interna atteratur; transacto paroxismo vtatur scobe vnguis cum aqua liliorum conuallium vel spicæ hortensis; Pro mulieribus hystericis si vngui cum zedoariæ radice comisceatur præstans erit remedium; Pro vertigine & cordis affectionibus possumus etiam huic addere alia medicamenta consimili facultate prędita, vt pro vertigine radicem Peoniæ maris, lignum visci quercini, & Karabe; Pro cordis affectionibus semina citriorum & cornus ceruini scobem. His de magna Bestia ennarratis superest vt ad mentē historicorum tam antiquorum quam recentiorum Nomina huic assignemus. Aristoteles si in suis de historia animalium monumentis de hac Bestiia scripsit, nullibi profectò nisi (vt nonnulli opinantur) lib. 2. cap. 1. de natura Animalium sub nomine Hippelaphi seu equicerui; Hippelaphus, inquit, satis iubæ summis continet armis, & à forma equi & cerui, quam habet compositam, nomē accepit, quasi equiceruus dici meruisset; proprium huic est villus, qui eius gutturi modo Barbæ dependet; gerit bina cornua Capræ proxima excepta fæmina, & pedes habet bisulcos, & corporis magnitudine à Ceruo non dissidet; gignitur apud Arachotas. Hæc Aristoteles quæ notæ non ad vnguem conneniunt cum primis magnæ bestiæ assignatis, ideò credendum Aristotelem hāc non descripsisse sed potius aliud Animal asiaticū nobis incognitum. Pausanias hanc Belluam in

lib. 9.

lib.9.Vet. grec.descript. Alcem nominat, Alces, inquit, est animal, quod gignitur in terra Gallia media quadam inter Ceruum, & Camelum specie; Beluarum hanc vnam nequeunt homines aut inuestigare aut præuidere, sed alias indagantibus feras hanc non consultò sed fortuitù nanciscuntur; persentit alioqui hominem ex longo interuallo olfactu & statim in retrusas speluncas confugit; Venatores vbi campestres uel montanos saltus ad stadia fermè mille in orbem continenti indagine cinxerint, ad intimos eadem agminis forma recessus progressi, feras omnes in medio comprehendunt & inter eas Alcen; quæ si fortè lustrum in ea, quam obsederit, regione non habuerit, nulla utique reliqua est ad capiendum solertia; Alcæ (ex lib. 5. eiusdem) qui mares sunt (nam fœminis nulla omnino prodeunt) e superciliјs cornua extrudunt. hæc Pausanias; qui mores & reliquas notas non ad unguen descripsit, quia (ut reor) hæc suis monumentis ex aliorum relatu mandauit, non quod ipse hanc beluam proprijs conspexerit oculis, vel aliquis fidelis ei veram narrauerit historiam. Albertus Magnus lib. de Animalibus 2. cap. 2. & 3. hanc Bestiam nuncupat Equiceruū Equiceruus. inquit, nobis cognitus equo similis, sed est altior, Elent vulgò dicitur, ad equitandi vsum cicuratur, tantundem enim spatij vno die quantum Equus triduò perficit; Cornua eius sunt solida

& ramosa

& ramosa colore, quò Ceruì, ab initio vbi prodeunt ad tres vel quatuor digitos rotūda sunt, deinceps lata & tenuia Asseris instar, & circa finem multos producunt ramos, facit hæc latitudo vt scabellis sint idonea, pondus horum ingens est; Ceruo maior est & hirsutior simili tamen pilo, in cæteris cauda solùm Ceruis similis; frontis latitudo duas æquat palmas; Horum animalium magnus est numerus in syluis Prussiæ, Vngariæ, & Illyriæ; hæc Albertus. Hic multas addit, adimitq; notas; vereor ne alieno ore instructus hæc scripta reliquerit. Plinius si suis de natura Animalium monumentis de magna Bestia verba fecerit, profectò vt ego sentio, nullum huic nomen donat præter Machlin, Nam lib. 8. cap 18. suæ naturalis Historiæ prodidit, quod Machlin caret flexu suffraginum, ideoq; non cubans, sed acclivis arbori dormiens hac incisa à venatoribus capitur, alias velocitatis memoratæ, cuius labrum superius prægrande, ob id retrograditur in pascendo ne in priora tendens inuoluatur; hæc Plinius; qui vnica descriptione nobis, dum notas confundit, duo præ oculis animalia, magnam bestiam, videlicet & Alcen Cæsaris ponit; hunc quando loquitur de suffraginum defectu illam subsequentibus notis; Alces, inquit Cæsar, est consimilis capræ at procerior; cornibus mutila; Cruribus sine nodis atque articulis; hac de causa cum ad Arbores succisas acclinata vnà cum his cōciderit, quia se erigere non potest, Capitur. Philostratus se-

cundo de vita Apollonij Tyanei lib. suffraginum flexus defectum Camelis indicis attribuit; Camelis, inquit, Indi ad cursum vtuntur, qui vno die mille stadiorum iter conficiunt, & genua habent nequaquam flexibilia. Solinus magnam Bestiam cap. 32. Alcem nuncupat; Alces, inquit, est Mulæ compar adeò propenso labro superiore vt nisi retrocedens in posteriora vestigia pasci nequeat; Qui quantum fallatur dum Mulæ hanc comparat, & sit diminutus dum reliquas tacet notas, ignarus etiam potest iudicare. Recentiorum aliqui de hac Bellua scripserè, inter quos fuerè Olaus magnus Archipræsul Vpsalensis, & Apollonius menabonus Regis Seciæ medicus, ambo in naturæ huius Bruti historia conueniunt, nomine verò latino discrepant; Olaus hoc duobus nuncupat nominibus, Onagrum, inquam, & Alcem; Apollonius verò Bisontem; qui quantum decipiantur ex prædictis colligi potest. Onager non gignitur nec spectatur nisi in regionibus calidis; magna hæc Bellua lingua Germanica vocatur Elent, & Hellend, Aquilonari verò Elg, & Elgar. Hæc sufficiant de nominibus, natura, moribus, facultatibus & vsu Magnæ Bestiæ; ex cuius historia animaduertant scriptores, quam sit absonum & damnosum, alienis relationibus Historias rerum contexere; non ab re cecinit Poeta ille, Nusquam tuta fides. Superest stans promissis vt ad Rangiferi naturæ narrationē mea conuertatur oratio, qua prodita receptui canam.

RANGI-

RANGIFER *est animal quadrupes Asini proceritate, Capite Vitulino, tricorne, Cornibus leuibus, ramosis (præter medium, quod est breuius in ramusculos tamen expansum) quæ ceruinis cornibus similia sed longiora & magis ramosa existunt, ita vt adulta ad quindecim ramos perueniant, quibus in maximam admirationem & & Naturæ laudes trahuntur spectatores: Hic pascitur ob huiusmodi cornuum figuram se inclinando obliquis ceruicibus, alioqui in terram Cornua figeret, nec ali posset, & ob hoc stans potius escam venatur: Collum, vt Equus, iuba vestitum gerit: Vngues bifidos & rotundos habet: pilo constat Ceruino: hac de re ab aliquibus Ceruus rangifer nuncupatur. Nomen Rangiferi sortitum est hoc Brutum duplici de causa: vna, quod gerat in Capite alta cornua ramis quercinis æmula; altera verò quod Instrumenta Cornibus & pectori imposita ad Currus & Plaustra trahenda Rancha patria lingua Vocentur; huius animalis nullus author antiquus latinus grecusuè historiam monumentis posteritatis memoriæ reliquit; sed tantum recentiores, vti Olaus magnus & Apollonius mena bonus. Gignitur & habitat Rangifer tantùm in vltimis ad Arcturum Suecię regni Oris, Bothiniæ, inquam, & magnæ lapponiæ, vbi lingua materna Rhen, & Rehen vocatur; dixi quod solum ibi habitat, quia si (vt experientia docuit) ad exteras regiones ducatur ob Aeris & escę mutationem breui moritur. Pro Esca musco*

candido montano vescitur, hyeme potissimum, Niuibus tecto, quę quanuis sint densissimę, naturę instinctu tanquàm ab Equo syluestre famelico suis pedibus diuiduntur; In Aestate arborum folia, flores, & herbas depascitur; In eundo maximum pedibus strepitũ excitat; Cursus pernicitate reliqua Bruta hyeme pręcipuè, antecellit, præter magnã Bestiam, quam tamen Cursu æquat. Pulli Rangiferorũ, nec non & adulti capiuntur, qui mansuescunt; hisq; mansuefactis accolæ vtuntur pro ductu plaustrorum onustorum ad agros & Rura; nec non pro vehendis mercibus pręsertim per Nouergiæ valles ob vicinitatem pro vtilitate propria, & pro populi magis fidi conseruanda amicitia, Curruum ductores & Plaustrorum sua lingua materna Quenar appellantur, qui Rangiferorum auxilio singulo quoque die centum & quinquagintaquinque milliaria Italica conficiunt; Horum vehicula à cæteris figura distant; antrorsum nanque Nauium instar sunt mucronata ad Niuium penetrationem & diuisionem: quibus ad faciliorẽ & celeriorem tractum Rangiferorum pelles substernuntur, hoc mangonio, vt anterior pars pellis antrorsum consuatur sub Rheda, quo fit vt pili foras euersi nedum facilitatem & lubricitatem progrediendi sed & resistendi firmitatem super Niue & Glacie præcipuè præstent; alioquin Auriga retrò cederet et laberetur, nec in Collibus iter optatum perficeret; qua etiam commoditate Viatores Arcubus & sagittis extensis siluestres Ran-

giferos

giferos depredantur. Edicto Dominorum prohibetur ne hæc Vehicula externis ob maximam celeritatem accommodentur Rangiferi ſylueſtres permittuntur in ſolitudinibus viuere ad generis propagationem & augumentum; qui poſtea cum ſuis Pullis venatione capiuntur, vt manſuefacti tanquam greges Armentarij præſtent dominis ſuis vtilitatem; pellibus, inquam, carne, lacte, ſero, neruis, oſſibus, cornibus, vnguibus, & pilis; quorum nonnulli illius regionis incolæ poſſident decem; quindecim; triginta; ſeptuaginta; centum; & vſq; ad mille, qui Paſtorum curę demandati, ad paſcua ducuntur & reducuntur; ſtabuliſq; claudūtur ad Vitandas luporum montanorum cęteris ferociorum agminatim graſſantium inſidias. Pellibus accolæ non tantum pro tegumento ſui corporis ſed etiam pro cubilibus, & ſellis equeſtribus vtuntur; nec non ad ſaccos folleſq; ob tenacitatem & firmitatem conficiendos; Carne ſapida & ſaluberrima veſcuntur; quæ etiam ſale & vento exſiccata ad plures perdurat annos; Lac deputatur ad vſum domeſtici obſonij; ſerum ad potum; Nerui vicem lini explent, ibi nanq; ob frigora linum non prouenit, Naueſq; ijſdem compingunt & cōnectūt ob ferri penuriam; oſſa & cornua arcuum & baliſtarum ab Artificibus pro vſu expetūtur, & pro rerum commutatione victui neceſſariarū; vngues ſpaſmaticis ſummopere conferunt; Pili verò aſſeruantur pro puluinariorum infractu. Hæc ſunt, quæ ab authoribus diſcere mihi fuit permiſ-

ſum de Rangiferi nominibus natura moribus, vſu, & facultatibus; quantũ ego triſtitia afficior, quod hoc animal non poſſit viuum duci ad noſtras regiones & hic peruiuere; ſupplex igitur Principes noſtros rogo obteſtorq́; vt ſaltem Mortuum ad nos adduci procurent, vel ſaltem pellem cum capite, pedibusq́; nec non & reliquorum Brutorum, quæ ſunt rara, pulchra vtilia & nobis ignota: vt maximam Dei omnipotentis prudentiam & erga nos Charitatem magis ac magis admirari & venerari poſſimus, ad Cuius Gloriam & ſtudioſorũ gratiam animalium hiſtoriam à me propoſitam omni ſtudio & fida Induſtria, quantum mihi parum perito & experto, multisq́; negotijs diſtricto & diſtracto fuit permiſſum, contexui; ſperans me peritiores & magis idoneos excitaturum ad maiora & vtiliora typis depromenda; ad quod præſtandum Diuus Petrus Apoſtolorum Princeps epiſtola prima capite quarto nos hortatur; Vnuſquiſq;, inquit, ſicut gratiam accepit ita cæteris illam impartiat, vt boni multiformis gratiæ Diuinæ diſpenſatoris munus expleat.

Hæc cunctis equidem cupiens prodeſſe notabam;
Re non adiuui? pro fuit aſt Animus.

SIMPLI-

SIMPLICIVM LATINARVM appellationum Index,

QVORVM EST FREQVENS vſus in officinis.

A

Clematis

Galanga

Nar-

Quinqu

Tal-

FINIS.

Index Nominum aliquorum ſimplicium, quibus paſſim pharmacopolæ vtuntur, & compoſitorum pharmacorum nomenclationum dedita opera eſt dimiſſus; ſerie nanque alphabetica facilè patent cunctorum nomenclaturæ.



INDEX MEMORABILIVM, QVAE IN VNICORNIS Historia continentur.

Equus

FINIS,

